BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 — A
29

C. III. N.° 30

Digitized by Google

8 . 30 . A . 29

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS DE LAET
Antuerpiani
NOTÆ
AD
DISSERTATIONEM
HVGONIS GROTII
De Origine Gentium Americanarum:
ET
OBSERVATIONES ALIQVOT
ad meliorem indaginem difficillimæ illius Quæſtionis.

PARISIIS;
Apud Viduam GVILIELMI PELÉ;
viá Iacobæâ ſub ſigno Crucis aureæ.
M. DC. XLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QVum Deſcriptionem vtriuſque Americæ in lucem darem, & oculis obuerſaretur tanta hominum multitudo vbique obuia, (etiam nunc, poſtquam Hiſpanorum ſæuitia tot myriadas deleuit) mirabar vnde in illam orbis partem, tandiu Europæis noſtris ignotam, potuerint penetrare: & videbam nihil adhuc certi de origine aut tranſmigratione illarum Gentium ab Authoribus proditum eſſe, aut ſaltem non tale quid, quod curioſis ingeniis plene poſſet ſatisfacere. Quanquam autem meum argumentum videbatur poſtulare, vt hanc nobiliſſimam quæſtionem non præterirem; deterrebat tamen rei difficultas, &

aliorum irriti, vt mihi quidem videbatur, conatus, & quum mihimet ipſi non poſſem ſatisfacere, perineptum fuiſſet velle aliis perſuadere. Vnus erat Ioſephus de Acoſta è Societate Ieſu, qui aliquam viam ad veritatem indagandam monſtraret, cuique ob inſignem illarum regionum cognitionem & multiplicem experientiam, fides haberi quodammodo poſſet. Sed erat quoque alia non minus difficilis diſquiſitio de animantibus quadrupedibus, priori illi connexa, quam ſimul expediendam iudicabam. Accedebat pene infinita non modo dialectorum, ſed & linguarum ipſarum diuerſitas, & inter vicinos quoque populos, tanta varietas, vt nihil fere inter ſe commune oſtenderent, moribuſque & inſtitutis toto cælo inter ſe diſcreparent. Quo fiebat, vt vſitatæ indagandi viæ per linguarum aut morum inſtitutorumque ſimilitudinem, hic nullum haberent locum. Itaque tandem in animum induxi quæſtionem hanc omit-

Digitized by Google

tere & alteri operæ, maturiorique indagini ſeruare. Verum cum nuper ad manus meas perueniſſet, Clariſſimi viri Hugonis Grotij *Diſſertatio de Origine gentium Americanarum*, cuius excellenti ingenio, iudicio & ſummæ eruditioni plurimum tribuendum non ignorabam, ſperabam aut rem iam perfectam me inuenturum, aut ſaltem certiorem viam ad veritatis indaginem: itaque auide illam arripui; Verum dum accuratius illam examino & momenta rationum expendo, nihil fere in illa repperi, vt verum fatear, quod quenquam vel mediocriter rerum Americanarum gnarum, in aſſenſum poſſet trahere; itaque viſum breuiter annotare quæ in Diſſertatione illa deſiderem, quæque incerta & quæ vero abſimilia iudicem; futurum ſperans, vt vir Clariſſ. repetita opera, diligentius hanc difficillimam quæſtionem expendat, & certiora, veriſque ſimiliora de origine gentium Americanarum nobis tradat. Perſequar autem non ſingula,

Digitized by Google

ſed tantum ea quæ proprie hanc quæſtionem attingunt, propoſitis primum eis quæ ab ipſo tractata, eiſdem verbis, quibus edita ſunt, iiſque meas Annotationes ſubiungam. Lectoris erit iudicare, quid perperam, quid recte in vtroque Scriptor ſe habeat.

HVGONIS GROTII DISSERTATIO DE ORIGINE GENTIVM AMERICANARVM.

VIdeo veteres, tum qui terras, tum qui res geſtas deſcripſerunt, multum in eo poſuiſſe operæ, vt aut ex monumentis antiquis, ſi poſſent, aut ſi ea deeſſent, ex fama, aut coniecturis, nos docerent, vnde veniſſent qui terras quaſque primi habitauerant. Sic Dionyſius Halicarnaſſenſis, multum prætergreſſus omnium Italorum diligentiam, ex Græcorum monumentis, ad quæ aggeſſit & alia argumenta, nobis oſtendit vnde origo fuerit populis qui primi Italiã tenuêre. Sic Saluſtius, qui Africam, Tacitus, qui Britanniam primi inſederint, inquirunt diligẽter: ille ex veteri fama, hic partim ex fama, partim ex coniecturis, quas ſuppeditabat lingua, habitus, mores. Apud Strabonem, magni iudicij virũ, multæ ſunt inquiſitiones eius generis. Hæc cum ita ſe habeant, miratus ſum ſæpe, quod ex tot noſtri ſæculi viris eruditis nemo ſolicite inquiſiuerit, vnde ortum habuerint gentes illæ quæ ante Hiſpanorum aduentum illas habitarunt terras, quas incognitas veteribus, alij à Veſpucio Americam, alij occidentalem Indiam appellamus: Eam dico quæ ab Oceano Se-

ptentrionali, ad Magellanicas maris fauces longis ac plurimum latis etiam ſpatiis ſe inter mare Atlanticum & alterum quod Sinas alluit, aliis Pacificum, aliis del Zur dicitur, extendit. Ego cum legiſſem nonnulla ſcripta Hiſpanorum, Gallorum, Britannorum, Batauorum, qui in illis fuêre oris, putaui me rem facturum non inutilem, ſi quæ mihi maxime videntur probabilia, communicarem & nunc viuentibus & poſteris; eo animo, vt alios, quibus per peregrinationes in eo orbe, aut etiã per libros qui in meas manus non venerunt, maior earum rerum contigit notitia, excitarem ad noſtra hæc aut confirmanda, aut bonis rationibus refellenda.

ANNOTATIO.

QVum in ſequentibus multos ſibi refellendos ſumat vir Clariſſimus, qui omnes eos populos veniſſe putent è Scythia, non video quare hîc dixerit, ſe ſæpe miratum, quod ex tot noſtri ſæculi viris eruditis, nemo ſolicite inquiſiuerit vnde ortum habuerint gentes illæ Americanæ: præſertim cum non opiner Clariſſimum virum ignoraſſe, Ioſephum de Acoſta hoc diligenter & ex inſtituto egiſſe in Hiſtoria ſua naturali & morali Indiarum: & apud plures alios (de quibus poſtea) multa in hanc aut aliam ſententiam reperiri. Sed pergamus.

Digitized by Google

H. GROTIVS.

VIdeo multos eſſe qui omnes eos populos veniſſe putent ex ea Scythia quam Tartariam magnam nunc vocamus. Argumẽtum habent quod ad Anianum ſiue fretum ſiue ſinum (vtrum enim ſit nondum conſtat) non magnum ſit inter Tartariam, Americamque interuallum. Quod ſi is ſinus ſit, terras eſſe contiguas, ac ob id facilem tranſitum: ſi ſit fretum, id quo magis intratur anguſtius fieri, ac proinde fauces illas, quales ſunt Helleſpõti, aut in Thracia Boſphor, in ullo negotio nauibus potuiſſe tranſmitti. Hæc ita ſumma, vt ita loquar, in cute ſpectata, ſpeciem veri habent: introſpecta tamen mihi ſe non perſuadent.

ANNOTATIO.

SI quid video, duo hîc conſideranda ſunt, qui & quomodo in has terras venerint: nam etiamſi forte aliqua communio aut ſimilitudo morum & linguæ oſtendi poſſit, & non aliqua commoda ratio iniri, qua ab ſua regione in hanc venerint, nihil hac conjectura profectum æſtimari poteſt; neque locorum, per quæ forte tranſmeauerunt, hodierni aut etiam ſuperiorum temporum incolæ, quicquam ad hanc rem faciunt. Qui autem credunt è Scythia, quæ nunc magna Tartaria dicitur, & longiſſime atque latiſſi-

Digitized by Google

me patet, gentes in Americam tranſiiſſe, non propterea dicunt aut tenentur dicere, illos qui primi in hanc Americam Septentrionalem tranſmigrarunt, Scythas aut Scythicæ originis fuiſſe: ſatis enim conſtat gentes in omnibus Europæ, Aſiæ atque Africæ partibus, alias ab aliis veluti impulſas, & quum in vicinorum fines inuaſiſſent alij, priores incolas longius procedere atque aliò commigrare coëgiſſe: cuius rei omnes hiſtoriæ faciunt fidem, & eiuſmodi tranſmigrationum exempla paſſim obuia ſunt apud authores, quos Clariſſ. vir ſupra commemorauit. Quare quæ ſequuntur argumẽta ab ingenio, & inſtitutis Scythicæ gentis, quæ à multis iam ſæculis regionem illam Tartariæ incoluit, petita, ſententiam illam non poſſunt euertere.

H. Grotius.

Conſtat enim in omni America ante Hiſpanorum aduentum equos fuiſſe nullos. Scythia autem plena ſemper equis, & Scythæ fere omnes equis vehi, & in equis ingentia terrarum ſpatia conficere, etiam ſanguine equorum, ſi alia deeſſent, in potum verſo vti ſoliti.

Annotatio.

Vt hodie Scythia illa, quæ magna Tartaria dicitur, plena ſit equis, atque

adeo olim fuerit, non tamen propterea ſequitur ſemper plenam fuiſſe; aut Scythas illos qui illam regionem tenuerunt, equis vſos, cum hæc tranſmigratio fieret, quam à multis ſeculis factã fuiſſe ſatis arguit, quod Americæ regio quaqua patet, ſuperiori ſæculo quum Europæi illam primum adierunt, tam numeroſo populo plena fuit inuenta, vt nihil Europæ aut Aſiæ cederet, atque etiam in Inſulis huic Septentrionali Americæ obiectis multæ myriades hominũ fuerint inuentæ, tam diuerſis ingeniis, linguis, moribus & inſtitutis, quales vix in Europa vniuerſa demonſtrare poſſis. Vt inde facile concludi poſſit, tranſmigrationem illam iamdiu & ſtatim poſt diſperſionem illam in Aſia propter linguarum confuſionẽ eſſe factam: neque à paucis longe poſterioribus ſæculis orſam, quum ratione inita tam immenſus numerus propagari non potuerit niſi multis ſeculis. Et ſane par eſt ratio Americæ, atque Europæ & aliarum orbis partium; eadem propaginis, vitæ, mortiſque, bellorum & pacis imago: neque ibi aut fœcundiores ſunt fœminæ, aut homines longæuiores.

H. GROTIVS.

QVod ſi cohærerent America & Tartaria, equi aut fugitiui, aut libere paſcẽ-

Digitized by Google

tes, ex Tartaria in Americam olim penetraſſent; ſicut equos ex terris Americæ aliis in alias magnis diuiſas montibus penetraſſe conſtat, Hiſpanorum relatu, ex quo Hiſpani equos illuc aduexêre. Si vero perpetuum intercedit fretum, quod magis credo, Tartari numquam nauigatores fuêre, & ſi fuiſſent, non magis tranſiiſſent ſine equis, aut diu eſſe ſine equis voluiſſent, quam Galli veteres, qui in Britanniam, aut Hiſpani qui in Americam tranſiêre.

Annotatio.

VT de equis dubitari poſſit, facit Relatio Dauidis Ingrami Angli, qui interiora continentis Septentrionalis peragrauit & equos à ſe viſos prodidit: Sed quia incertæ fidei eſt auctor, neque ab aliis ante Hiſpanorum aduentum ibi fuiſſe prodũtur, nolo hoc argumẽto vti. Porro vtrum magis credibile ſit, Americam & Tartariam cohærere, an vero perpetuum intercedere Fretum, vti non definiuerim, tamen magis inclino in eam ſententiam quæ cohærere credit, aut anguſto tantum Freto diuiſas eſſe: neque tamen propterea neceſſe fuerit equos tranſituros fuiſſe: non enim omnes terræ æque illis opportunæ, aut pabulo eorumdẽ abundantes, & ab altiſſimis montium iugis impeditos fuiſſe, excipi merito poteſt, aut à crebris intercurrentibus fretis coërcitos.

Digitized by Google

Vellem autem Clariſſ. vir notaſſet in qua parte Hiſpani retulerint, equos ex aliis terris Americæ in alias magnis diuiſas montib. penetraſſe. Scio in regione quæ à flumine Argenteo verſus meridiem inclinat & fere plana & campeſtris eſt, multoque gramine læta, infinitos equorum greges reperiri ab origine Hiſpanica, ſed iuxta noui in montoſis partibus paucos, alibi etiam nullos reperiri, & Hiſpanos quum per montana iter facerent, etiam eos quos adduxerant, amiſiſſe: neque omnem tellurem quæque animalia alere. Ita vt argumentum ex prima dilemmatis parte non ſit demonſtratiuum; nam potuerunt illi qui primi tranſmigrarunt, equos non habere, aut ſi habuerunt, difficultate locorum à tranſducendis deterreri. Quod autem in ſecunda dilemmatis parte dicitur, Tartaros nunquam nauigatores fuiſſe: præterquam quod dicimus non fuiſſe Tartaros qui primi tranſierunt, non video quomodo probari poſſit Tartaros nunquam nauigatores fuiſſe: nam & Sinenſes qui origine Tartari eſſe creduntur, iam diu nauigaſſe conſtat, & ita quoque de aliis Scythicæ originis gẽtibus haud difficulter probari poſſet. Sed accedit, quod ad tranſeundum anguſtum fretum, non magna nauigandi induſtria opus ſit, neque etiam nauibus, quum ratibus fieri potuerit; & ſupplet ſæpe induſtriam neceſſitas aut cupidi-

Digitized by Google

tas locum mutãdi. Quod autem addit Clariſſimus vir, ſi Tartari nauigatores fuiſſent, non magis tranſiiſſent ſine equis, aut diu eſſe ſine equis voluiſſent, quam Galli veteres, qui in Britanniam, aut Hiſpani qui in Americam tranſière : Id vero facile refelli poteſt, neque enim primis illis ſeculis naues eiuſcemodi fuerũt vt equos traducere poſſent: & hoc idem argumentum magis locũ haberet in Norvvagis, à quibus originem harum gentium accerſit, qui & equorum multitudinem habuerunt & neceſſarium eorum vſum non ignorarũt, vt eodem modo iure objici poſſit, Norvvagos non fuiſſe tranſituros ſine equis, aut etiam bobus, quod animal homini adhuc magis neceſſarium, aut diu ſine illis eſſe voluiſſe. Conſtat autem in tota illa continente Americæ ab Hiſpanis non magis boues quam equos inuentos, ne quidem ſues generis Europæi. Ita vt ne hoc quidem argumentum quicquam vetet gentes Americæ per Scythiam introducere. Præſertim quum ad promontorium Tabin aut Cathaiam omnino veriſimile ſit anguſto freto continentes diuidi, & ab Armenia vbi Arca conſtitit, iter neque valde impeditum, neque admodũ longum ſit ad Cathaiam, vt tabulæ Geographicæ faciunt fidem. Iterque illud agi poſſit extra circulum Arcticum, quum è Norvvagia per glacies & aduſta frigore loca fuerit eluctan-

Digitized by Google

dum. Sed videamus porro Clariſſ. viri ſententiam.

H. GROTIVS.

EGo, vt dicam quæ mihi maximè ſe probant, primum diſpeſcam Americæ populos, in eos qui ſunt ad Septentrionem, cis Iſthmum qui eſt inter Nomen Dei & Panamam, & eos qui vltra id fretum ad Auſtrum ſe porrigunt, donec in Fretum Magellanicum deſinant.

ANNOTATIO.

CVr neceſſarium fuerit hoc loco hanc diuiſionem facere, fateor me non capere: nam quum Continens hîc nullis montibus diſpeſcatur, qui migrantes vltra procedere vetent, aut freto ſe committere cogãt, non video cur hic limes iis qui ab Arcto venerunt, ſtatuendus fuerit: cum Hiſpani in has partes venerunt, qui cis & vltra Iſthmũ incolebant, & lingua & inſtitutis multum inter ſe conueniebant, vt hoc loco finem transmigrandi factum minime veriſimile ſit: neque vllum Fretum prohibet, ſed terra quam commodiſſimè quaquaverſum etiam ad extremum Auſtrum progredi licet. Non tamen propterea nego aut ambigo etiam ab Auſtro in Americam gentes deſcendiſſe: vtrimque enim veniſſe concedo, quamquam vbi potiſſimum occurrerint, incer-

Digitized by Google

tum ſit, vt cætera omnia. Sed concurſum illum ad hunc Iſthmum ſtatuere, id vero ſuperuacúum puto. Vt autem idonea aliqua ratio reddi poſſit quomodo tot hominum myriades has vaſtiſſimas regiones impleuerint, omnino admittendum puto, ab illis partibus immigraſſe, quæ anguſtis ſaltem fretis diſiungitur. Conſtat autem Americam vtramque & Septentrionalem & Auſtralem vaſto Oceano inde ab Groenlandia ad Fretum vſque Magellanicum ab Europa atque Africa dirimi; nullam coniunctionem cum Aſia niſi in Arctoïs illis partibus inueniri poſſe: vltra Magellanicum fretum primum ſunt Inſulæ anguſtis fretis diuiſæ, quæ ſe exporrigunt verſus Orientem, & rurſus freto haud admodũ lato interluuntur, quod Lemairium vocamus; quo pacto ſe habeant terræ quæ vltra illud jacent, nondum ſatis compertum eſt, licet communis & veriſimilis opinio ſit cum Noua Guinea coniungi. Ab altera parte ſimili modo America vaſto illo Oceano Pacifico ab Aſia dirimitur: vt ab illa parte ad Americam niſi longa & permoleſta nauigatione non ſit acceſſus.

H. Grotivs.

Omnes ferme populos qui cis Iſthmum ſunt Panamæ, ex Noruvagia ortos arbitror; his ductus rationibus.

An-

ANNOTATIO.

MIror ſane quo pacto hæc ſententia Clariſſ. viro tantopere potuerit probari, vt ſperauerit ſe illam cæteris poſſe perſuadere. Quæ ſi vera eſſet, oportuiſſet longe maximam Americæ partem, incolas ſuos accepiſſe è Norvvagia: nam pars Americæ Septentrionalis, ſi à Groenlandia ordiaris & ad Aſiam extendas, & longe maximo gyro ad Iſthmum illum Panamæ producas, magnitudine Auſtralem aliquantum ſuperat, præſertim ſi Inſulas illas maiores, minoreſque, quæ objacent, adjunxeris. Sed ea non potuit ab vna regione non admodum populoſa (niſi Norvvagiam latius extendas) tam breui tempore impleri. Qui ſuperiori ſæculo regionem illam, quæ ad Arctum pertinet, primi adierunt, longe aliam hominum faciem obſeruarunt, quam vt à Norvvagis oriundi videri poſſent. Forbisherus anno cIɔ Iɔ LXXVI ad fretum ſui nominis vidit barbaros, lata facie, depreſſis & ſimis naribus, capillis nigris & prælongis, colore oliuaſtro. Quæ Norvvagis minimè conueniunt. Qui illum ſecuti ſunt, magis Tartaris aut Samoedis ſimiles iudicarunt: præſertim quia ipſis barbæ admodum erant raræ. Alij quoque obſeruant illos Solem venerari, quem vocent Ilyout, quod à Græco nomine non abludit:

Hiſpani autem obſeruarunt barbaros qui iuxta Quiuiram degunt, quæ ad Californiam pertingit, Nomadum more agere, & loca ſæpe mutare prout armentorum paſtura inuitat. quæ magis Scythicam, quam Norvvagicam originem arguunt. Sed audiamus rationes.

H. Grotivs.

ISlandiam à Norvuagis habitatam euincunt vtriuſque populi monumenta, traditio, lingua, & imperium antiquiſſimum Norvuagiæ in Iſlandos. Creduntur autem eò migraſſe multi ante annum Chriſti milleſimum, cum adhuc Paganicæ religionis eſſet Norvuagia.

Annotatio.

ISlandia primos incolas è Norvvagia accepiſſe creditur, & quidem, vt tradit Angrimus Ionas, anno poſt Chriſtum natum IↃCCCLXXIV. Sed paucas tantum primò familias, quæ tyrannidem Regis fugiebant: poſtea plures acceſſerunt; ſiquidem Inſula ſatis ampla pluribus opus habuit vt coleretur. Originem adhuc linguæ communio & alia teſtantur. Sed ab hac aut per hanc à Norvvagia incolas ferme omnes Americæ Septentrionalis petere, hoc verò mihi nimis longè quæſitum, neque ſatis veriſimile videtur. Quanto

procliuius eſſet credere, Norvvagos, Danos, & alios Septentrionales populos his vicinos: Cambros quoque & vel maxime Hybernos, quos omnes Oceanum etiam ante illa tempora nauigaſſe conſtat, rectà ad Continentem fuiſſe delatos; (nam & Cambros nouas terras quæſiuiſſe & adiiſſe ex ipſorum monumentis docemur:) quam Iſlandos, qui ad Inſulam ſuam implendam multo tempore eguerunt, longo & difficili ambitu circumductos. Ethnicos autẽ tum fuiſſe Norvvagos cum in Iſlandiam migrarent, idem Angrimus Ionas tradit, paulo tamen poſt Chriſtianos factos: ſed quis præſtet Iſlandos ante Chriſtianam religionem acceptam aliò emigraſſe, aut Inſula ſua nondum perculta, quod paucis annis fieri non potuit, alias ſedes & quidem maiori frigori obnoxias quæſiuiſſe? Nemini ſane qui rem recta reputabit via, hoc facile perſuaſeris; aut rationem reddideris, quare non & equos ſtatim traduxerint aut poſtea quæſiuerint: neque enim Inſula lato freto à Groenlandia diſpeſcitur. Neque video quare in Groenlandia, aut aliis illis regionibus, potius quam in Iſlandia, ſermo Norvvagicus penitus exoleuerit. Sed pergamus.

Digitized by Google

H. Grotivs.

AB Iſlandia ventum eſt in Groenlandiã; quam alij Inſulam putant, alij partem continentis Americanæ: Ibi quoque eadem lingua, idem iam olim imperium. Vicina ei Friſlandia de qua extat commentarius Zenonum Venetorum: niſi ea forte pars eſt aut Iſlandiæ, aut Groenlandiæ.

Annotatio.

FRiſlandia dudum Inſula credita, iam Groenlandiæ pars cenſetur, & Inſula in Tabulis Geographicis expuncta eſt. Groenlandiam autem Continentis Americanæ partem eſſe, ſuperioribus annis, Anglorum nauigationibus compertum eſt. Verum ingentes ſinus & patentia maria penetrant in illam Continentem, ad ſummam altitudinem arctoam, quæ cum pene omni anni tempeſtate glacie horreant, haud facile traiici poſſunt: & regiones illæ adeo incultæ atque horridæ, tamque profunda niue obſitæ ſunt, vt non ſit veriſimile, hac parte homines iter ad vicinas regiones tentaſſe, aut ſi tentarunt, tam vaſtam Continentem intra ſex aut ſeptem ſæcula implere potuiſſe. Quæ autem Zenones illi Veneti prodiderunt, ſuſpectæ fidei merito habentur; neque hodie tale quid in illis regionibus deprehenditur, quale ipſi tradiderunt. Sed

Digitized by Google

non eſt nobis propoſitum illorum relationes examinare aut refellere. Notiſſimum eſt omnibus, quam familiare ſit iis qui longinqua itinera ſiue terra ſiue mari obeunt, multum ſibi permittere, interdum & aliorum relationibus accepta, tanquam viſa tradere: neque opus eſt exempla paſſim obuia producere, in quibus eiuſmodi itinerantes, & ipſi falſi fuerunt & alios fefellerunt, (ne dicam licenter mentitos), quia haud facile argui poterant, niſi ab iis qui ad eaſdem regiones penetraſſent. Sed proſequamur Iſlandorum & Norvvagorum iter, prout Clariſſimus Vir nobis præit.

H. GROTIVS.

HVic proxima Eſtotilandia, pars continentis Americæ; quam è Friſlandia piſcatores adibant, duobus ſæculis priuſquam Hiſpani in nouum orbem venêre. Hæc omnia nomina eandem habent deſinentiam, ex voce regionem denotante lingua Germanorum, quorum olim pars Norvuagi, vt ex Plinio, Tacito, imò & ex ipſa lingua & moribus apparet.

ANNOTATIO.

SEnſim proficimus in itinere noſtro ad Americam: à Norvvagia in Iſlandiam; ab Iſlandia per Friſlandiam in Groenlandiam

promouimus : E Groenlandia iam tendimus in Eſtotilandiam. Hæc omnia, vt verum dicamus, nullum authorem habent niſi Zenos illos, & ſi qui fortè poſt eos errarunt. Sed animaduertere debuit vir Clariſſ. magnum hic ſaltum fieri è Friſlandia aut Groenlandia in Eſtotilandiam : nam Zenorum fabula diſerte tradit, piſcatores illos Eſtotilandiam illam non adire ſolitos, ſed tempeſtate jactatos per multos dies, eò inuitos fuiſſe delatos: atque adeo Eſtotilandiam illam à Friſlandia abeſſe milliaria ſupra mille verſus Occidentem; Inſulam adhæc multo amœniorem & Iſlandiæ magnitudine parem: cuius Rex in Bibliotheca ſua multos libros Latinos habuerit (mirum ſi non & Germanicos) licet incolæ peculiari lingua & literis aut characteribus vterentur: Porro Iſlandiam, Groenlandiam, Eſtotilandiam, eandem habere deſinentiam ex voce regionem denotante lingua Germanorum, palam eſt, vtpote à primis inuentoribus qui Germanicæ originis erant, impoſita; nam ipſos incolas ſuas terras ita nominaſſe nequaquam liquet. Sed hoc ferri poteſt, quæ ſequuntur, nimis longe à probabili ratione diſcedunt. Et magnus fit ſaltus ad fretum Panamæ.

H. GROTIVS.

SIc & quæ inde ad fretum Panamæ extenduntur terræ, ſimilis ſoni habent nomina; Cimatlan, Coatlan, Gueſcoſlan, Artlan, Quaxutatlan, Zeiotlan, Icatlan, Tapatlan, Cinacatlan, Cinantlan, Tenuchtitlan, Comitlan, Metzitlan, Guatitlan, Necotitlan, Curcatatlan; quibus omnibus in vocibus, Hiſpanorum pronuntiatio vltimam literam extriuit.

ANNOTATIO.

IN Cimatlan & aliis illis vocibus eiuſdem terminationis, vltimam literam n ab Hiſpanorum pronuntiatione extritam, non facile perſuadebitur iis, qui Mexicanæ linguæ aliquam notitiam habent: nam præterquam quod pleraque eorum nominum quæ hîc exempli cauſa producuntur, non ſint regionum nomina, ſed vicorum aut oppidorum: terminatio illa *tlan* etiam aliis vocabulis additur, quæ cum regione aut terra nihil habent commune; vt cum dicunt, *in puertatitlan* ad portam: Item *Ocachi tlatzintlan* magis infra: & *Itzintlan* infra, & ſimilia: ad eundem modum *Tenoxtitlan*, quod eſt genuinum metropoleos nomẽ, (Mexico enim dicitur à conditore *Mexi*) interpretantur *Tunale ſuper petram*. Mirum autem cuiuis merito videri poſſit, eas gentes hoc vnum

Digitized by Google

nomen Germanicum retinuiſſe, quum nulla alia veſtigia linguæ Germanicæ apud ipſas reperiantur. Fateor tranſponas aut adimas literas aut interdum ſyllabam, ſiue ab initio, ſiue à fine, varia linguarum inter ſe commercia fieri poſſe; nec vllam eſſe linguam tam peregrinam à noſtro orbe, quin, ſi cui placeat otio ſuo abuti, in ea vocabula poſſint reperiri, quæ ſi ad eum modum agas, à noſtra aut aliis Europæis linguis non abludant. Sed vereor ne hoc pacto nihilo propius ad veritatem originis harum gentium accedamus. Præterquam quod noui Domini ſtatim aliquid de lingua ſua affricant; vt & in noua Francia eſt obſeruare & in noua Hiſpania; cuius vel indicium ſit quod ſupra poſuimus *puertatitlan*, nam *puerta* merum eſt Hiſpanicum, pro latino porta.

H. Grotivs.

Mexicani & eorum vicini cum eo primum venêre Hiſpani, dixêre ſe non eſſe indigenas, ſed veniſſe à Septentrione maiores ſuos. Quam autem primum poſt Eſtotilandiam inſedêre regionem, ea nunc quoque originis ſuæ nomen retinet: dicitur enim Norimbega quod nihil aliud eſt quam Noruuega, ſono ab Hiſpanis emollito, qui pro VV ſolent B ponere.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

AGnoſco Mexicanos & eorum vicinos dicere, ſe aliunde & à Septentrione veniſſe in illas terras, quas hodie tenent: poſtea autem eſt compertum aut probabili conjectura creditum illos veniſſe ex illa prouincia; quæ hodie ab Hiſpanis appellatur Noua Mexico; ea autem à Mexico hodierna intra continentem ſita eſt, haud longe à California, quæ aut cum Tartaria conjuncta creditur, aut anguſto freto ab ea diuiſa. Venerunt tamen potius ab occaſu aut Coro quam Septentrione. Longiſſime autem diſtat Noua Mexico ab illa regione in qua Norimbegam fuiſſe prodiderunt quidam Authores: quæ à barbaris Agguncia dicta fuit, non Norimbega: prout autem deſignant, oporteret eam eſſe in ea parte Nouæ Franciæ, quam hodie Angli tenent. Fabuloſa autem eſſe quæ de illa narrant, ſatis patet; nam hodie in illis partibus neque hoc oppidum, neque vllum omnino oppidum aut oppidi veſtigium reperitur. Et incolæ totius illius tractus vicatim habitant, neque diu vno loco; habitationum autem ſuarum ſedibus à ducibus ſuis dant nomina. eaque cum ipſis mutant. Sed ne multa dicamus de fabuloſo hoc oppido ſiue prouincia, & conuenientia nominis Norumbega cum Norvvagia: rem ipſam videa-

mus. Primum, non video quomodo primi illi Americæ Septentrionalis incolæ, ſi quidem ex Iſlandia in Groenlandiam, inde in Eſtotilandiam veniſſent, Norumbeguam hanc potuerint adire: nam ſecundum littus incedere non potuerunt, quod propter crebros ſinus & freta longe lateque in continentem penetrantia iter terrâ non admittit. Præterquam quod ij, qui ſuperioribus annis conati ſunt in illa Americæ parte fretum aliquod peruium ad Sinam reperire, tam graphice nobis illius regionis faciem inde ab Inſula, quam Terram nouam vocant, deſcripſerunt, vt nemo facile in animum poſſit inducere Norvvagos illos per illas regiones iter habuiſſe. Ita vt quod Vir Clariſſ. hîc dicit poſt Eſtotilandiam, Norumbeguam primum inſediſſe, minime fidem mereatur. Deinde iidem Mexicani qui ſe à Septentrione veniſſe dicunt, prouinciam illam quam hodie incolunt, non vacuam, ſed ab aliis populis, puta Chichimecis inhabitatam inueniſſe fatentur, atque etiam ab aliis barbaris, cum quibus diu ambiguo Marte bella geſſerunt: quos omnes, ſi & è Norvvagia accerſas, diu ante immigraſſe oportuit Non autem tantum ibi, incolas inuenerunt, ſed & in vlterioribus prouinciis ad Iſthmum vſque Panamenſem; licet ſuum imperium eouſque non extenderunt. Chichimecæ autem illi

qui ante Mexicanorum aduentum in illis partibus egerunt, & adhuc in vicinis agunt, valde barbari & feri fuerunt, ſolo venatu vitam tolerantes, ſine vllis politicis inſtitutis, ſine religione aut vllis cæremoniis, præterquam quod feram primum captam Soli immolarent; de cæteris alibi diximus ex fide authorum. Chichimecas autem primum in partes illas circa Mexico veniſſe tradit Gomara anno à Chriſto nato IↃCXXI. Mexicanorum autem Annales memoriam Regum ſuorum tantum conſeruarunt ab anno CIↃCCCXXII. Sed de Mexicanorum rebus abunde à nobis dictum in lib. 5. Deſcriptionis noſtræ. Porro nouæ Hiſpaniæ incolæ infinita pene idiomatum varietate inter ſe diſcrepant, quæ non tantum dialectis variant, ſed plane diuerſæ ſunt linguæ: nam & Otomies, & Mechuacani, (quos Hiſpani hodie vocant Taraſcos) & plurimi alij ſuas proprias linguas habuerunt. Inter vniuerſas autem excellebat Mexicana; quæ & vicinis nationibus, etiam remotis, poſtquam Mexicani, imperij ſui fines longe lateque produxerunt, communis eſſe cœpit, quemadmodum in Europa olim latina, & in Aſia græca: ita vt in ſingulis prouinciis interpretes illius haberentur, quos *Naguatlatas* vocabant. Quis autem credat gentes illas omnes, ſi quidem è Noryvagia originem duxiſſent

intra ſeptingentos annos, ita potuiſſe matricis linguæ obliuiſci vt nullæ reliquiæ aut veſtigia illius in illis potuerint deprehendi: quum contrarium plane in Europæis linguis videamus, quæ licet multum mutatæ ſint, tamen adhuc veſtigia quamplurima originis ſuæ ſeruant? Aut quis poſſit rationem reddere, qua factum ſit, vt ex vna lingua, tam multæ & pene innumeræ, non ſolum vocabulis rerum, ſed & conſtruendi modo diuerſiſſimæ, propagarentur intra tam breue temporis ſpatium?

H. Grotius.

Et verſus Californiam eſt populus lingua eiuſdem & inſtitutorum cum Mexicano; & populus Alauardi, id eſt Longobardi.

Annotatio.

Qvis ſit ille populus eiuſdem linguæ cum Mexicano ignoro, nec ſatis capio quem Clariſſ. Vir deſignet; niſi forte intelligit illum qui in Noua Mexicana degit. Sed & in hac prouincia quam plurimi populi degunt lingua & moribus diſcreti: de quibus in deſcriptione noſtra diximus. Apud nullum autem authorem Hiſpanum inueni, hic populum vllum eſſe eiuſdem linguæ cum Mexicanis. Qui porro ſint illi

Digitized by Google

Alauardi, aut quomodo hoc nomen conueniat cum Longobardis, à Clariſſ. Viro explicatum oportuit: multa ſunt nomina barbarorum quæ pari licentia in Europæa poſſent conuerti, ſed mihi eiuſmodi licentia non placet. Suſpicor autem Clariſſ. Virum pro Aluarado ſubſtituiſſe Alauardos, quia non memini me Alauardos apud Hiſpanos authores inueniſſe: verum iſte Aluaradus Hiſpanus fuit qui multas prouincias in America peragrauit, vnde & loca quædam & flumina hodiéque nomen eius ſeruant.

H. GROTIVS.

HIſpani nouam Mexicam vocant, cum vere hæc ſit vetus Mexica, vnde in alteram ventum eſt ante annos, vt ajunt, octingentos.

ANNOTATIO.

VNica ratio, propter quam Hiſpani crediderunt, Mexicanos ex illa quam vocant Nouam Mexicanam, in Nouam Hiſpaniam veniſſe, fuit, quia ibidem inuenerunt ædificia grandia qualia non alibi reperiuntur. Porro ratio temporum apud authores rerum Mexicanarum vacillat, neque ſatis conſtat quo anno Mexicani ad lacum, aut in illas prouincias venerint, quas tenebant, quum Hiſpani illos oppreſſerunt. Si autem

Digitized by Google

verum eſt, ante 800 annos veniſſe, vt hîc aſſeritur, quomodo è Norvvagia per Iſlandiam eodem pene tempore migrare potuerunt, & tanta cum multitudine in has tam longinquas regiones permeare, quo Norvvagi primum in Iſlandiam venerũt? Id nos doceat neceſſe eſt Clariſſ. Vir, ſi aſſenſum coniecturæ ſuæ velit impetrare. Nam non eſſe ſupra octingentos annos à prima migratione in Iſlandiam iam ſupra diximus. Sed poſito vno abſurdo, ſequuntur plura.

H. Grotius.

Accedunt vocabula quæ multa apud illos fuiſſe Germanica, id eſt Noruuagica, indicio ſunt pauca quæ caſu ad noſtram notitiam peruenêre. Teut Deus Germaniæ, ſic & illis populis: Pagod Bygod Deus minor, imaginarius: Guaira vuayer flabellum. Top-hos capitis tegmen: Lame Lam agnus. Loca adſita torrentibus deſinunt in Peke pro Beke quod eſt torrens Germanis. Plura haud dubie reperient qui in iſta volent inquirere.

Annotatio.

Esto ſane vocabula rerum congruentia magnum indicium originis dare: (quanquam in omnib. linguis multa reperiri communia vocabula notum ſit, licet gentes quæ illis vtuntur, non ſint vnius originis; & ſæpe caſu illud fiat, interdum & alias ob cauſas)

Digitized by Google

non ſatis eſt, paucula vocabula ſiue integra, ſiue paululum, ſecundum varias dialectos, detorta reperiri, ſed oportet ipſum linguæ aut dialecti genium, pronuntiandi rationem, conſtructionis modum, & imprimis nomina earum rerũ quæ domeſticæ & maxime communes illi genti ſunt, attendere, nam aliàs non difficile eſt in omnibus linguis reperire vocabula, conuenientia aliquo modo cum aliis linguis: & multi iam Viri eruditi id in noſtra quoque lingua obſeruarunt; & Clariſſ. vir Goropius Becanus magna volumina de ea re ſcripſit: vti & Schrieckius vnum: quos ſi audias, omnium linguarum originem trahere procliue eſt à noſtra, aut Cimmeria: atque porro ſecundum Clariſſ. viri argumentum omnes nationes fere eiſdem originem generis ſui debebunt. Porro quæ hîc vocabula exempli causâ producuntur, & pauciſſima ſunt, & nihil facilius eſt quam dicere, *Plura haud dubie reperient qui in iſta volent inquirere.* Ego quum illud argumentum in animo haberem, & vocabula è gentium Americanarum linguis obuia ſtudioſe attenderem, nõ potui originis Germanicæ (niſi forte pauciſſima) veſtigia deprehendere. Quum autem Clariſſ. vir aſſerat multa apud illos vocabula fuiſſe Germanica, debuiſſet ſaltem aliquanto plura annotare, neque nos ad difficilem, prolixam atque incertam indagi-

nem mittere. *Apud illos*; Mexicanos opinor intelligit, niſi forte omnes qui Septentrionalem Americam incolunt: parum intereſt, ſi omnes originis ſunt Norvvagicæ. Dico porro, ne vnum quidem eorum vocabulorum quæ hic producuntur, ad Mexicanos pertinere, ne ad alias quidem eius Continentis nationes, niſi forte vnum de quo dicam ſuo ordine. *Tent* pro Deo nō agnoſcunt Mexicani, qui licet plures Deos colerent, nullū commune nomen pro Deo vſurparunt: vnde neceſſe fuit Hiſpanis ſuum *Dios* ipſis ſuggerere. Sic dicunt *Ma Dios motlan moyetztie*, Deus ſit tecum. (Mexicani quidem primum Regem habuerunt *Teuch*, ſed illum pro Deo cultum non inuenio.) Neque alios eius Continētis populos vocabulū *Tent* pro Deo vſurpare hactenus obſeruaui. Sed grauior apud me eſt authoritas Ioſephi de Acoſta: qui lib. v. c. 3. Aunque, inquit, es coſa que mucho me ha marauillado, que con tener eſta noticia que digo, no tuuieſſen vocabulo proprio para nombrar à Dios. Porque ſi queremos in lengue de Indios hallar vocablo que reſpōde à eſte, Dios, come reſponde en Latin Deus, y en Griego Theos, y en Hebræo El, y en Arabige, Alà, no ſe halla en la lengua del Cuzco, ni en la lengua de Mexico: por donde los que predican, o eſcriuen para Indios, vſan el miſmo noſtro Eſpanol, Dios, &c. Licet

multum

Digitized by Google

multum mirer, quum habeant eam notitiam quam dixi, non habuiſſe vocabulum proprium ad Deum nominandum; quare ſi quæramus in Indorum linguis vocabulum quod Dios reſpondeat, vt in Latino Deus, in Græco, θεὸς, in Hebræo El, in Arabico Alá; non reperiemus in lingua Cuſcenſi, neque Mexicana, &c. Nec *Pagod* in vniuerſa America notum, populorum qui inter Indum & Gangem & vicinis regionibus habitant id proprium eſt. *Guayra* Peruanorum proprium eſt, (quanquam dubito Hiſpanicum eſſe) *El que es metal rico ſe beneficia por fundicion en aquellos hornillos, que llaman Guayras,* inquit Acoſta libro quarto, capite nono. Eſt ergo furnillus, non flabrum. *Llame* quoque Peruanorum vocabulum eſt, non autem ſignificat ouem aut agnum: nam neque ibi neque in tota America repertæ fuerunt oues ante Hiſpanorum aduentum, qui illas traduxerunt. Animal autem quod vocant *llama*, diuerſi eſt generis, quod accuratè deſcribitur à Ioſepho de Acoſta libro 4. cap. 41. Nihil commune habet cum noſtro Lam, niſi quod quadrupes ſit & lanam geſtet ſui generis. De *Top-hos* nihil iam occurrit, neque enim memini me illud vocabulum ea ſignificatione apud barbaros illos inueniſſe. Lego quidem apud Ciezam quoſdam Peruanorum fibulas quibus mantilia ſua connecte-

Digitized by Google

bant appellaſſe Topes; ſed hoc nihil ad capitis tegmen. Nec *Peke* Mexicanis notum pro torrente, quem ipſi vocant *Atlauhtli*: multa quidem nomina locorum, montium, fluminum, aliarum rerum ipſis deſinunt in *pec* & *peque* ſeu *peke*, quæ ad torrentis etymon referri non poſſunt: credo terminationem ipſis eſſe communem in pluribus vocabulis. Denique habeo vocabularium Mexicanum in ciuitate Mexicana ab Hiſpanis excuſum, & ſæpe tentaui an poſſem aliqua vocabula reperire, quæ vel leuem ſimilitudinem haberent cum aliqua lingua Europæa mihi nota, ſed nullum hactenus potui deprehendere, ne quidem in iis quæ maximam ſpem poſſent facere, vt in nominibus partium corporis & ſimilibus. Idem & in aliarum gentium quæ Septentrionalem Americam incolunt, tentaui, ſed irrito conatu. Ipſe Clariſſ. Vir id tentet, inueniet enim in deſcriptione mea plurima annotata variarum gentium vocabula: ſed nolim illum vti ea licentia, quam in vocabulo Alauardi vſurpauit. Concludo itaque nec apud Mexicanos nec vicinos illorum populos nec vllas nationes (niſi forte pauca) quæ Continentem illam incolunt, vocabula reperiri Germanicæ originis, non magis quam Hebraïcæ aut Græcæ, aut Latinæ, quæ linguæ olim latiſſime patuerunt: faciat peri-

Digitized by Google

culum qui voiet vel in Canadenſibus qui longe viciniores ſunt Groenlandiæ, & fatebitur me verum dicere. In Groenlandia ad quam adhuc Iſlandi & alij Germani interdum commeant, fortaſſis pauca inuenientur. Si literas mutare, Syllabas tranſponere, addere, demere velis, nuſquam non inuenies quod ad hanc aut illam ſimilitudinem cogas: ſed hoc pro indicio originis gentium habere, id vero mihi non probatur.

H. GROTIVS.

NOn leue originis indicium etiam in moribus.

ANNOTATIO.

NIſi mores in omnibus aut ſaltem in pleriſque & præcipuis congruant, indicium hoc omnium leuiſſimum autumo. Nam multa ſunt quæ omnibus gentibus barbaris communia ſunt, vtpote ab vltima antiquitate deſcendentia, qualia pleraque quæ hic exempli cauſa producuntur. Sed ſingula videamus & examinemus.

H. GROTIVS.

IVdices apud illos XII. vt olim apud Gothos aliaſque gentes Scandiæ & apud vicinos eorum Saxones, vnde in Angliam id venit.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

NVllos apud gentes illas Americæ Septentrionales, ne quidem eas quæ proxime ab origine abſunt, quam Vir Clariſſ. hic ſtatuit, Iudices inueni, aut vllam ciuilis iudicij formam. Mexicani ſoli Iudices ordinarios qui lites dirimebant & iuſtitiam adminiſtrabant, habuerunt, eos appellabant *Tequixquinahuacatl*: Sed certus numerus eorum non proditur, neque memini me legiſſe qui duodecim facerent. Petrus Martyr decad. quinta c. 4. *domus eſt in maioris plateæ lato campo ſenatoria ingens. Vbi perpetuò ſedent autorati longæui decem aut duodecim viri, vt Iureconſulti de rebus emergentibus iudicaturi.* Si Vir Clariſſimus nobis oſtenderit, duodecim fuiſſe, magnam inibit gratiam. Sed vereor ne hic laboraturus ſit. Et ſi forte oſtenderit, erit quod reſponderi poſſit.

H. GROTIVS.

VIta olim in venatu, vt de maioribus ſuis narrabant Mexicani. Temporum putatio per noctes: infantium recens natorum in amne ablutio: aleæ fides ad libertatis vſque iacturam; quæ omnia moris eſſe Germanici, ex Tacito & Germanis ſcriptoribus cognoſcas.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

VIta olim in venatu non ſolis Germaniæ populis fuit, ſed & multis aliis, & maxime Scythis; quare hic nullum indicium eſt originis, magis Germanicæ, quam Scythicæ, aut alterius gentis. Neque hoc de maioribus ſuis narrant Mexicani, ſed de Chichimecis quos in illis regionibus inuenerant, ipſi cultiores erant & iamdiu ſementem faciebant. Temporum putatio per noctes etiam multis populis in Oriente familiaris, quod ab Hebræis venit. Infantium recens natorum in flumine ablutio, haud ſolis Germanis propria fuit, ſed & aliis gentibus vſurpata: Mexicanis autem vſitatam fuiſſe non inuenio: quarto demum à natiuitate die obſtetrix infantem nudum in aream domicilij iuncis ſtratam efferebat: in medio vaſculum aqua plenum poſitum erat, in quo illum abluebat. De Aleæ fide non memini me legere; ſed & hoc multis & diuerſis nationibus familiare.

H. GROTIVS.

VIris ſingulis vxores ſingulæ, exceptis nobilium paucis: quod Germanis tribuit idem Tacitus, ita vt eos hac nota ab aliis barbaris diſcernat: cum contra apud Scythas

ab omni ætate vſitatum fuerit plures vni viro eſſe vxores. Mulieribus vt Germanicis vnæ tantum nuptiæ.

Annotatio.

Viris ſingulis, ſingulæ vxores: neque hoc Germanis proprium, licet forte proprium inter alios barbaros, quos propterea Tacitus à cęteris barbaris diſtinguit; non ab aliis qui à Romanis pro barbaris non habebantur. Mexicanis autem aut cæteris illis gentibus, ſingulas fuiſſe vxores, exceptis nobilium paucis, à vero abludit; ſiquidem omnibus illis gentibus familiariſſima eſt polygamia, vti & Scythis. Id de nouæ Franciæ incolis tradit Quarterius, qui proximi ſunt ab origine Norvvagica: de Cinaloanis Martinus Perez è Societate Ieſu, de aliis alij. An Mexicani aliquid peculiare in hoc habuerint, non obſeruaui. Mulieribus quidem vnæ nuptiæ in quibuſdam prouinciis, non in omnibus. Legantur ſcripta eorum qui de illis gentibus ſunt commentati, & deprehendentur quamplurima à moribus veterum Germanorum diſcrepantia, præſertim apud illas quæ viciniores ſunt Groenlandiæ & Iſlandiæ, vnde Clariſſimus Vir profectas vult.

H. GROTIVS.

TRibunalia in Florida ad experimentum altiſſimi æſtus, qualia Cauchos habuiſſe Plinius nos docet.

ANNOTATIO.

VTrum Floridani tribunalia habeant ad experimentum altiſſimi æſtus, neque affirmauerim neque negauerim. Sed quomodo Cauchi hîc cum Norvvagis componuntur, quorum regio fluctibus non eſt obnoxia vt Cauchorum; & longo terrarum interuallo diſtant. Sed quid hæc ad indicium originis faciunt? eiuſmodi tribunalia ſolers hominum genus ad ſui conſeruationem inuenit vbicumque ab aquarum illuuione periculum eſt: omnes etiam barbariſſimi ſoliciti ſunt de vita conſeruanda, & facillimum eſt tumulos egerere æſtu ſuperiores, non neceſſe hoc à Cauchis diſcere.

H. GROTIVS.

ANimas corporibus ſuperſtites ab omni æuo credidere; quod Lucanus tribuit populis quos Arctos deſpiçit. Corpore infames grauiter puniti: habes & hoc apud Tacitum de Germanis: quo & illud Quintiliani pertinet in oratione pro Mariano milite qui Tribunum occiderat; Sanctius apud Ocea-

num viuitur. *Sellæ ſingulis & menſæ ad focum: Sororum filij hæredes. Corpora ferme nuda, niſi qua pudor id vetat, aliaque ſimilia, quæ Tacitus de Germanis prodidit, in iis autem locis de quibus agimus, reperta conſtat, Germanicam non Scythicam oſtendunt originem. Etiam diis mactare homines, Germanicum, unde feritate longius procedente, natus apud quoſdam populos mos etiam humana carne veſcendi.*

Annotatio.

Qvæcumque hic afferuntur, non ſunt veteribus Germanis propria, ſed etiã aliis nationibus communia, vt nullum ex iis indicium ſumi poſſit Germanicæ potius originis quam alterius cuiuſcumque. Et hęc quoque multis nationibus conueniunt, quæ alteram partem Americæ incolunt, qui proptérea originis Germanicæ non cenſentur. Et operæpretium fuiſſet hæc omnia de Mexicanis aliave natione Septentrionalis Americæ probare, quod difficillimum iudico. Pudicitiam ſancte coluiſſe aut hos aut cæteros, qui mores eorum propius inſpexerit, nemo dixerit. Sane corpora fere nuda, niſi qua pudor id vetat, ab Hiſpanis apud Mexicanos non ſunt inuenta, ſed potius aliquis cultus etiam in veſtibus; nomina quoque veſtium propria habent in ſua lingua. Incolæ quoque Virginiæ longis in-

Digitized by Google

duſiis vtuntur: Floridani pellibus ferarum, de iis qui propius ad Arctum degunt, certũ eſt totum corpus pellibus ferarum tegere: ita & de multis aliis probari poſſet. Apud quos ſororum filij hæredes ſint, explicare oportuiſſet; apud Mexicanos hoc non reperitur, & neſcio an apud vllos illius Continentis incolas, præter Hurones, de quibus poſtea dicemus. In Peruuiæ vicinis prouinciis id obſeruatũ docet nos Petrus de Cieza; ab aliis contra. Et notat Acoſta de Peruanis. Ingarum filios patribus ſucceſſiſſe, è principali vxore natos, quæ dicebatur *Coya*, quæ ab Inga Ypangui ſoror fuit. Tamen ſi Rex haberet Germanum legitimum, ille ſuccedebat ante filium Regis. Eundem ordinem obſeruabant & Curacæ & primores Regni. Cibum capiendi ratio plurimum apud illos variat, vti & apud cæteras gẽtes, neque hoc ſatis certum eſt originis indicium. Nec diis mactare homines Germanis propriũ; neque hoc antiquum apud Mexicanos: feritatem illam ipſos docuit dæmon, vti & alias gentes: nec in America Septentrionali inuenti, qui humana carne veſcerentur, niſi admodum pauci; feritas iſta maxime viguit & adhuc viget in parte Meridionali.

H. GROTIVS.

QVod autẽ modo dixi hos citra Iſthmum Panamæ populos fere omnes Norvva-

gicæ eſſe originis non dixi fruſtra. Nam qui Iucatanem & vicina quædam loca tenent, eos alterius eſſe originis docet reperta apud eos circumciſio. Multi ob id & quod ex mari ſeruatos ſe dicerent, Hebræos eſſe credidere, ex decem ſcilicet tribubus in Mediam auctos, inde per Tartariam progreſſos, in Americam longo illo itinere, de quo agi putant quarto libro qui Eſdræ dicitur.

ANNOTATIO.

MIrabar primum cum legerem in diuiſione Americæ, quid ſibi vellet illud, *ferme omnes*, ſed quum ad hanc periodum perueniſſem, tum demum cauſam deprehendi: quæ tamen minus neceſſaria viſa ad exceptionem hanc formandam, ſi cætera bene fuiſſent probata: nam ſatis conſtat, à primis illis inuentoribus harum regionum multa fabuloſa aut perperam linguæ ignorantiâ intellecta, fuiſſe prodita, inter quæ & illud fuiſſe potuit, quod ſcribunt de circumciſione apud Iucatanenſes inuenta: & quod ſe ex mari ſeruatos dicerent. Atque hîc primum obſeruo, mihi non probari, Iucatanenſes qui longiſſime ab Iſthmo illo abſunt & Nouæ Hiſpaniæ proximi, à communi ſorte originis, qualiſcumque demum ſit, eximi. Sed audiamus quid Authores ſcribant de hac Iucatanenſium circumciſione, & aliis inſtitutis. Petrus Martyr decad. 4.

Digitized by Google

cap.1. *Templa frequentant, ad quæ primarij vias ex propriis domibus ſternunt lapidibus. Idolorum culturæ indulgent. Sunt, ſed non omnes, recutiti. Legibus viuunt & ſumma fide commerciantur, permutando ſine pecuniis. Cruces viderunt. Vnde id habeant interrogati per interpretes, dicunt aliqui: tranſiſſe virum quendam formoſiſſimum per eos tractus, qui eis id inſigne in ſui memoriam reliquerit. Alij obiiſſe lucidiorem ſole hominem quendam in eo opificio. Certi nihil habetur.*

Idem cap. 3. de Cuzumel Inſulæ incolis: *Sunt recutiti.* Idem c.4. De Inſula verſus Nouam Hiſp. *Pueros puellaſque diis ſuis immolant. Sunt recutiti. Extant & in huius Coluacanæ* (inquit paulo poſt) *lateribus aliæ ſitæ ſunt Inſulæ, in quibus ſolæ mulieres habitant ſine virorum commercio. Putant aliqui Amazonico viuere more. Qui prudentius rem ponderant, cœnobitas eſſe virgines ſeceſſu gaudentes, vti apud nos, & multis in locis apud veteres, Veſtales aut Bonæ Deæ ſacræ. Certis anni temporibus trajiciunt viri ad eas, non coitus cauſa, ſed moti pietate campos illis & hortos compoſituri, quo cultu queant vitam ducere.* Atque hæc quidem P. Martyr aliorum fide, tum vel maximè linguæ illarum gentium ignarorum, & quiduis temere credentium. Franciſcus Lopez de Gomara in Hiſtoria Indiarum hæc tradit. *Alli ſe hallaron cruzes de laton, y palo, ſobre muertos.*

Digitized by Google

De donde arguyen algunos, que muchos Eſpa-noles ſe fueron à eſta tierra quãdo la deſtruyon de Eſpanna, hecha per los moros en tiempo del Rey don Rodrigo. Mas no lo creo pues no las ay en las Iſlas, que nombrado auemos. En alguna de las quales es neceſſario, y aun forcoſo tocar antes de llegar alli, yendo de aca. Dicit ibidem cruces eſſe inuentas ſuper monumenta mortuorum. Vnde quidam crediderint multos Hiſpanorum eò fugiſſe, quum Mauri tempore Roderici Regis Hiſpaniam deſtruerent. Sed ſe illud non credere; quia in Inſulis nullæ reperiantur, ad quas neceſſarium fuerit primum appellere. Antonius de Herrera decad 2. lib. 3. c. 1. dat rationem, vnde cruces primum in has partes venerint. Sed circumciſionis ne verbo quidem meminit. Idem Gomara poſt dicit: *Retajanſe, aunque no todos.* Circumcidunt ſe, licet non omnes. Ibidem. *Mas todos ydololatran, ſacrificando algunos hombres.* Sed omnes idololatræ ſunt, immolantes quoſdam homines. Idem pene dicit de incolis Inſulæ Cozumel. Poſt hunc etiam alij pene eadem retulerunt. Valde autem credulos fuiſſe oportet, qui ex hiſce in animum induxerint credere, Hebræos eſſe, ex decem ſcilicet tribubus in Mediam auectos, &c. nam licet Authores hi dicant quoſdam eorum fuiſſe circumciſos, tamen nemo eorum prodit quibus cæremoniis & per quos cir-

Digitized by Google

cumciſionem adminiſtrauerint. Nemo autem ignorat quam retinentes ſemper fuerint ſuarum cæremoniarum Hebræi, atque etiam linguæ ſuæ. Vnde mihi perſuadeo Hiſpanos in his deceptos, & Iucatanenſes hos non fuiſſe reuera circumciſos: ſed quoſdam tales ipſis viſos, quia gentes hæ maximè procliues in venerem, fere omnes lue venerea laborant, à qua præputium ipſis arroſum fuerit. Hæc mea coniectura eſt, credant qui volent, ſaltem minime veriſimile eſt origine Hebræos fuiſſe, ſed videamus quid Clariſſ. Vir de his iudicet.

H. GROTIVS.

HÆc quamquam ita congeſta, multos poſſunt in aſſenſum trahere, mihi tamen ſe non probant. Scriptor Eſdræ quarti plenus eſt inanium ſomniorum, ideoque ab omnibus reiectus. Nec America eſt quo ille Hebræos iuiſſe dicit, ipſi non minus illo tempore quam omnibus aliis incognita; ſed regnum quod ſibi confinxere Iudæi, vltra amnem, vt aiunt, Sabbaticum, ad portas Caſpias, vnde nullus vnquam nuntius, nulla litera peruenere, quod nec vidit quiſquam, nec videbit vnquam; in hoc tantum repertum à Rabbinis nugiuendulis, ne promiſſa de manſuro ſemper regno in ſemine Dauidis, in Ieſu Chriſto impleta, & adhuc impleri credantur. Neque verum eſt, in Tartaria fuiſſe Iudæos. Et quæ quidam

Digitized by Google

reperiſſe ibi ſe putant tribuum Hebraïcarum nomina, vetera ſunt Scythica: vt Entalitæ non Nepthtalitæ, & ſic cætera quemadmodum Viri eruditi abunde manifeſtum fecerunt. Iam verò ad Iucatanem & loca vicina quod attinet, qui eò primum venere, circumciſionem ibi repertam tradunt, non etiam cæteros Hebraïcæ legis ritus, nec litterarum eam ſcripturam quæ à multis temporibus penes Hebræos fuit. Circumciſio autem multo latius patet, patuitque ſemper quam Iudaiſmus. Et quod ortos ſe dicerent ab hominibus è mari ſeruatis, non ad Mare Rubrum, ſed ad memoriã vniuerſalis diluuij, cuius apud omnes gentes reperiũtur veſtigia, recte referas. Vide quæ de ea re diximus in Annotatis ad Librum primum pro veritate Religionis Chriſtianæ.

Annotatio.

Aſſentior ſanè his quæ Vir Clariſſ. obſeruat de Hebræis; neque enim veriſimile eſt, ſi Iudæi huc perueniſſent, ſolam circumciſionem conſeruatam fuiſſe, cęteros Legis ritus omiſſos. Interea mihi non perſuadetur Circumciſionem hic inuentam fuiſſe, & credo primos illos Hiſpanos fuiſſe deceptos. Quare & cæteri ſcriptores Hiſpani, re iam melius comperta, nullam eius faciunt mentionem: etiam hoc de crucibus fabuloſum iudicat Ouiedus lib. 17. c. 3. Et Acoſta lib. 1. c. 23. diſerte negat, circumci-

ſionem vſquam apud Americanos inuentam.

H. GROTIVS.

REm tetigit Petrus Martyr, cum dixit non dubitare ſe quin ex Æthiopia Oceano adiacente nonnulli eò delati ſint; quod facile euenire potuit prouectis nonnihil ab ora ſua piſcatoribus, deinde per ventos illos vehementes qui rectà in Americā ferunt, abreptos: quale quid euenit nautæ illi à quo Columbus noui orbis notitiam accepit: & Indis illis, quos delatos ad Sueuorum littora tradit Plinius.

ANNOTATIO.

VBi hoc dixerit Petrus Martyr, ignoro, neque enim in meo exemplari Pariſiis anno 1587. excuſo illud inuenio. Sed ſi dixit, *non dubitare ſe quin ex Æthiopia Oceano adiacente nonnulli eò delati ſint*; non vtique *rem tetigit*: nam incolæ Iucatanes non ſunt Æthiopes, ſed colore ſimiles cæteris Americanis. *Nec facile euenire potuit prouectis nonnihil ab ora ſua piſcatoribus, deinde per ventos illos vehementes qui rectà in Americam ferunt, abreptos.* Nam primo inuſitatum prorſus eſt, piſcatores quum ad piſcatum exeunt, tantum commeatuum ſecum ferre, vt iis ad tam longam nauigationem potuerit ſufficere. Aduertat modo Clariſſ. Vir interuallum inter Africæ oram

& Iucatanem, & videbit hoc non modo nō facile potuiſſe euenire, ſed omnino impoſſibile eſſe. Deinde ſi ab ora prouecti & à vehementibus illis ventis, qui recta in Americam ferunt, abrepti fuiſſent; (quod tamen nauigationum gnari non facile admittent, quia magnæ induſtriæ eſt ab illa Africæ ora in Altum prouehi) potius in Americam Meridionalem fuiſſent delati, aut ſaltem in Canibalum Inſulas, quas vitare non poterant antequam in Fretum Mexicanum abriperentur. Duorum ad minimum menſium nauigationem fuiſſe oportuit ab Africæ ora ad Iucatanem. Qui hoc facile euenire potuiſſe credit, procliuius credet quod de Iudæis traditur: id enim facilius potuit fieri terreſtri itinere licet longiore, quam piſcatores huc abreptos fuiſſe à ventis. Dormitaſſe ſuſpicor Clariſſ. Virum quum hæc ſcriberet; nam iſta facilia credere in vigilantes non cadit. Nec tale quid euenit nautæ illi à quo Columbus noui orbis notitiam accepit: nam & hoc fabuloſum & ab Hiſpanis qui Italo gloriam inuenti noui orbis inuidebant, temere fictum, vt iam ab aliis obſeruatum. Columbus habuit alias rationes quæ illum induxerunt iſtam nauigationem ſuſcipere, à ſcientia Geographiæ profectas, vt alibi dixi. Et longè alia eſt ratio Indorum illorum, de quibus Plinius libro II. c. 67. dicit enim ex India commercii cauſa

naui-

nauigantes, tempeſtatibus abreptos in Germaniam, idque Septentrionali circuitu: longè alia eſt ratio piſcatorum.

H. GROTIVS.

CIrcumcidi autem mos vetus Æthiopum, vt ante alios teſtatus eſt Herodotus: cuius rei de cauſis egimus in dictis iam annotatis. Nec qui Æthiopum Chriſtiani facti ſunt veterem hunc gentis ſuæ morem deſeruêre: vt Aluarez & alij nos docent. Ab Æthiopibus eſt pronuntiatio literæ quæ ח Hebræo reſpondet. Non eſt autem vetus iſta ex Æthiopia in illas terras deducta colonia: ſed ab annis, vt ipſi dicebant, quingentis.

ANNOTATIO.

IAm paulo ante dixit Clariſſ. Vir, nonnullos eo delatos piſcatores; nunc dicit ex Æthiopia coloniam eo deductam: quod longè aliud eſt, quam paucos caſu potius quam de induſtria eò fuiſſe abreptos. Sed iam dixi Æthiopes haud fuiſſe Iucatanenſes. Addit, non eſſe illam coloniam veterem, ſed ab annis quingentis, & quidem, vt ipſi dicebant. Num ergo meminerant ſe ex Æthiopia miſſos in coloniam? non memini me tale quid apud Hiſpanos authores legere.

Digitized by Google

H. Grotius.

Abyſſinorum autem eo tempore Imperium ad Oceanum pertingebat. Et Chriſtianos fuiſſe qui illuc venêre Æthiopas, colligimus ex Baptiſmo, quem adminiſtrabant Iucatanenſes infantibus poſt annum tertium vt Græci & Aſiatici; vocabántque regenerationem: & infantis parentes ad eum piè celebrandum parabant ſe precibus, ieiunio, caſtimonia. Trahit nos eodem celebrata in Iucatane vnctio in fronte: peccatorum confeſſio in morbis: honeſta ſepultura: & certa de præmiis pœniſque poſt hanc vitam perſuaſio. Neque vero mirum videri debet ſi alia ad Chriſtianiſmum pertinentia, lapſu temporũ, nullis ibi ſacerdotibus, & populo negligente, interciderint: cum idem eueniſſe videamus in Dioſcoride Rubri maris, Inſula, quam nunc Sacotoram vocant, vbi de Chriſtianiſmo, ſane vetere, præter Baptiſmum & ſignum crucis nihil reliquum repererunt qui ibi poſt Paulum Venetum fuerunt.

Annotatio.

POſito vno falſo multa falſa conſequi ſolent, quod & hîc Clariſſimo Viro euenit. Nam ne iam hîc de fide Aluarez aut religione Æthiopum ſiue Abyſſinorum contendamus. Quis præſtet Abyſſinorum imperium cum aut vnquam ad Oceanum At-

lanticum pertigiſſe; ad Indicum vulgo creditur. Et ſi detur aliquando & ad Atlanticum pertigiſſe, non potuerunt ſoluere piſcatores illi ab vllo loco Africæ, vnde vento ſecundo ad Iucatanem abriperentur. Illa pars Africæ in qúa Abyſſini imperium habent, è regione opponitur Americæ meridionali. Si autem colonia fuit miſſa, vt videri vult Clariſſ. Vir, Sacerdotes vna miſſos probabile eſt. Sin nullos ſacerdotes habuerunt, quinam tandem illis circumciſionem aut Baptiſmum adminiſtrarunt; aut etiam vnctionem in fronte; coram quibus peccata confeſſi fuerint? Hæc omnia gratis dicuntur: nam Iucatanenſes non magis Baptiſmum habuerũt, aut vnctionem in fronte, aut confeſſionem, quam circumciſionem. Martyr Baptiſmi aut vnctionis aut confeſſionis non meminit, neque vllus alius idoneus author quem viderim. Acoſta quidem ſcribit, Peruanos habuiſſe genus quoddam confeſſionis: de quo videndum cap. 25. lib. v. Mexicani autem ſacerdotes ſe vngebant à capite ad calces, vt notat cap. 26. idque tæda, quia diis erat ſacra. Conficiebant & bituminis quoddam genus quo infirmos inungebant. Eoſdem quoque Mexicanos dicunt habuiſſe baptiſmi quoddam genus. Vnde ſi hæc quoque apud Iucatanenſes fuêre, à Mexicanis accepiſſe planum eſt. Contrà poſteriores Scriptores Hiſpani

rident illos qui aliquā Chriſtianitatis veſtigia hîc reperta retulerant. Iucatanẽſes enim abſurdiſſimi erant Idololatræ, & homines idolis ſuis immolabant, eodem pene modo quo Mexicani; vt omnino probabile ſit ab iis oriundos fuiſſe. Quid quod & ſacerdotes ſuos illos habuiſſe liquet. Quam autem vero abſimile vnam aut alteram Cymbam piſcatorum ad Iucatanem delatam, omnem Peninſulam in conſenſum traxiſſe, & ex piſcatoribus ſacerdotes factos, Sacramenta adminiſtraſſe Ethnicis. Franciſcus Aluarez ſcribit Abyſſinos circumcidi, qui velint, ſine vlla cæremonia: mares baptizari quadrageſimo poſt natiuitatem die, fœmellas ſexageſimo, non agnoſcere Chriſma aut extremam vnctionem. In eo non conuenit Iucatanenſibus cum Abyſſinis, ſi baptiſmum adminiſtrarunt infantibus poſt annum tertium. Sed dicit Vir Clariſſimus hunc morem eſſe Græcis & Aſiaticis: quid hoc ad Æthiopas Africanos? Quid multa? Religionem & ritus ſenſim mutari, & lapſu temporum multa intercidere nimis verum eſt, neque ita mirum, ſed homines à Chriſtianis oriundos intra quingentos annos, ita religionem mutaſſe vt etiam homines idolis immolarent, merito cuiuis mirum videri poteſt: neque hoc in Dioſcoride inſula obſeruatum.

Digitized by Google

H. GROTIVS.

Lingua autem quod nec plane Æthiopica, nec plane Noruuagica eſt in illo tractu à Septentrione ad Iſthmum Panama, inde eueniſſe credo, quod primum permixti fuerint diuerſæ originis homines: deinde quod ex iis plurimi ſine communi imperio vixerint Cyclopum more; vt nunc quoque ſit in Florida: Et ante ſexcentos annos in Mexicana aliiſque regionibus factum eſt: cui conſequens fuit vt ſingulæ familiæ propria ſibi finxerint vocabula.

ANNOTATIO.

VNde hæc permixtio linguarum euenerit; non ſatis liquet, nec pauci piſcatores ex Æthiopia aduenæ hoc efficere potuerunt, vt neutra lingua ibidem agnoſci poſſit. Debuiſſet autem Clariſſ. Vir vel vno vocabulo demonſtrare, quod hic aſſerit linguam in illis partibus ex Æthiopica & Norvvagica mixtam fuiſſe: aut nunc vllum vocabulum vtriuſque linguæ adhuc comparere. Nemo autem facile iniuerit numerum linguarum, (non dico dialectorum, nam hoc parum eſſet,) quæ in illa parte Americæ vſurpantur, quum ferme tot ſint linguæ diuerſæ quot populi: atque ita diuerſæ vt nihil commune habeant, neque quid Germanici aut Norvvagici in illis deprehenda-

tur. Scio aliis multis linguis accidiſſe vt multum mutarentur quantum ad pronuntiationem & ſcribendi modum, ſed nihilo ſecus origo prima haud difficulter obſeruari poteſt, maximè in Germanica. Habemus & nobile huius rei exemplum in vicina Britannia; nam quum primi illius Inſulæ incolæ ex Britannia Armorica originem duxerint tam longo tempore, vt eius tranſmigrationis memoria perierit; tamen adhuc hodie Idioma ſuum pertinaciter ſeruant Cambri, ab Anglis iam olim in vltimum angulum & montāna pulſi: vti & Britones illi quos vocant Brettonantes in Armorica. Siue contra ſe res habeat, vt volunt Cambri, & Armorici ab Inſularibus originem acceperint. In illis linguis, & vel maxime in Mexicana nihil Germanici inuenitur. Inter alia, nomina membrorum humani corporis ſolent aliquod ſaltem veſtigium ſuæ originis ſeruare, apud Mexicanos tantum abludunt à Germanicis aut Norvvagicis, quantum quæ maxime. Caput ipſis dicitur *Tzontecontli*, capilli *Tzontli*, frons *Ixcuatl*, Lingua *Nencpilli*, & ſic de cæteris. Eadem quoque ratio eſt in numerorum nominibus, & numerandi modo: eadem in temporum menſura & aliis: de quibus dixi in Americæ deſcriptione, & paulo poſt dicam. Fiat periculum etiam in aliis nationibus illius partis Americæ, è quarum linguis vocabula ad

nos peruenerunt, & idem iudicium neceſſe eſt. Hochelagenſibus in Canadenſi regione, vt prodidit Quarterius, caput dicitur *Aggonzi*, capilli *Agoniſcon*, Lingua *Oſnache*, Frons *Hergeniaſcon*. Souriquoſis, qui his vicini ſunt, Caput dicitur *Menougi*, Capilli *Monzabon*, Frons *Tegoeja*, Lingua *Nirnou*. Sankikanis haud longe ab illis diſſitis, Caput *VVyer*, Capilli *Mitrach*, Frons *Nachkaronck*, Lingua *VVeyeranou*. Quid multa? quot ferme diuerſi populi, ſunt autem innumeri, tot diuerſæ plane linguæ, neque aliter fieri potuit in tanta barbarie: & vt forte concedi poſſet, aliquos in illa Americæ parte eſſe Norvvagicæ originis, tamen de Mexicanis & eorum vicinis neutiquam veriſimile eſt: neque ſana ratione cuiquam perſuaderi poſſe autumo, intra octingentos aut etiam mille annos, Norvvagos tanto numero in illas partes venire potuiſſe, à quibus tanta multitudo propagari potuerit, & tam immenſa regio impleri. Quod autem addit Vir Clariſſ. plurimos ſine communi imperio vixiſſe Cyclopum more: id licet de quibuſdam dici poſſit, tamen neque de Floridanis, neque aliis quamplurimis dici poteſt; nam apud pleroſque aliqua communis imperij forma adhuc hodie manet. Sed defungamur iam Septentrionali Americæ parte.

H. Grotivs.

VEnio nunc ad alteram Americæ partem, quæ ab Iſthmo Panamæ ad fretum vſque Magallanicum excurrit.

Annotatio.

IAm ſupra dixi nihil cauſæ eſſe cur ad Iſthmum Panamæ ſeparatio fiat: & Meridionales omnes alterius originis ſtatuantur: ſed ſequamur hanc diuiſionem, & videamus an Clariſſ. Vir melius ſe hîc expediat. Nimis autem breuiter hac parte defungitur: nam hęc pars quoque ampliſſima eſt, habitaturq; ab innumeris pene gentibus & populis; qui non minus quam Septētrionales diuerſiſſimis vtuntur linguis, moribus & inſtitutis: pręterquam quod mediterranea huius continentis nondum ſatis ſunt cognita. habet autem hęc pars ampliſſimam baſim ad mare Septentrionale, ad fretum Magallanicū deſinit in obtuſum veluti conum. Vltra quod multæ iacent inſulæ anguſtis fretis diuiſæ.

H. Grotivs.

EOs qui prope ſunt fretum Magallanicum, eodem fuiſſe corporum habitu, moribus ac lingua, quo illi qui vltra id fretum ſedes habent, omnes qui de eo tractu ſcripſere, conſentiunt, quare cisfretanos à transfretanis ortos credi par eſt: eoque magis quod Peruani

Digitized by Google

ſemper dixerint in ea orbis parte homines fuiſſe ſui generis extraneos.

ANNOTATIO.

AB extremis populis hic orditur Vir Clariſſ. & dicit Cisfretanos à transfretanis ortos: ratio eſt, omnes qui de eo tractu ſcripſere, conſentiunt, eodem vtroſque fuiſſe corporum habitu, moribus ac lingua. Vt de moribus concedam (ſunt enim vtrique incultis, feris atque adeo immanibus) de corporum habitu minime conſentiunt omnes qui de eo tractu ſcripſere; vti nec de lingua; quæ & hic diuerſa reperitur pro populorum diuerſitate. Rationi quod additur, *eoque magis quod Peruani ſemper dixerint in ea orbis parte homines fuiſſe ſui generis extraneos*; quid ſibi velit non capio: id enim & de multis aliis qui illam partem Americæ incolunt, dicere potuerunt, & quidẽ veriſſime, ſunt enim plurimæ & pene innumerabiles gentes etiam in illo tractu, quæ nihil neque lingua neque moribus cum Peruanis habẽt commune, ita vt hoc de ſolis iis qui Fretum vtrimque accolunt, accipi non poſſit, aut ex eo concludi cisfretanos à transfretanis ortos. Peruuia quoque quamuis longe lateque pateat, tamen à reliquis partibus multum ſuperatur, neque ipſa per ſe, cum Hiſpani illam primum adierunt, ab vna gente

fuit habitata: ſed fuerunt in illa varij populi, diuerſa lingua, diuerſis moribus & inſtitutis, quos tamen omnes Peruuiæ Monarcha ſenſim ſub iugum miſerat, & tum ſeruitute premebat. Vnde factum erat vt quemadmodum multi Nouæ Hiſpanię incolæ communem haberent Mexicanam linguam, præter ſuam propriam, ita etiam hi Cuſcenſem linguam vſurparent. Interea non nego è transfretanis partibus Americam hanc Meridionalem incolas accepiſſe, non ſolum qua fretum illud attingit, ſed etiam longè lateque intra continentem. Obſeruatum enim multos populos ab auſtro ad arctum promouiſſe; & Toupinambas illos qui iuxta Fluuium Ianuarij degebant tempore Ioannis Lerij, nunc magnam partem iuxta Marannonem inueniri, maximum terrarum ſpatium emenſos.

H. GROTIVS.

ILlam autem orbis partem quæ trans Fretum eſt, & quæ inde longo tractu partim continuis terris, partim modicis fretis intercurrentibus, ſub Noua Guineæ nomine, ad vſque Giloli, Iaua & aliarum Indici Oceani Inſularum conſpectum ſe porrigit, Auſtralem dictam, in Tabulis, non aliunde quam ab ipſa Iaua aut Gilolo habitatores veteres accepiſſe, credibile eſt.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

SVperioribus annis noſtrorum & aliorum nauigationibus compertum eſt, trans fretum Magallanicum plures Inſulas eſſe, modicis fretis intercurrentibus, extra quas eſt patentiſſimum mare, & per id aditus ad mare Pacificum, vt vocant: tranſitus quoque inuentus per fretum Lemairium. Terræ autem illæ quæ fretum hoc ab Arcto ingredientibus ſiniſtræ ſunt, an cum noua Guinea contiguæ ſint, an modicis intercurrentibus fretis dirimantur, adhuc incompertum eſt: qui orbis delineationem ad Globũ exactam inſpexerit, deprehendet maximam eſſe diſtantiam, & omnia incerta: ita vt incolas illos Americæ Meridionalis ad fretum Magallanicũ, ab Iaua aut Gilolo aliiſque maris Indici inſulis accerſere, coniectura haud ſatis certa nitatur; ita vt malim iudicium ſuſpendere, quam ferre. Licet videam omnino neceſſe eſſe à pluribus partibus accerſere, vt tantæ multitudinis propaginem deprehendamus.

H. GROTIVS.

AT Peruanorum ingenia multo elegantiora, iuſtique & magni imperij capacia, aliam teſtantur originem: quæ, ſi quid video, non aliunde quam à Sinenſibus, paris elegantiæ, pariſque imperij gente.

ANNOTATIO.

HÆc iam ſecunda Helena, quam Clar. Vir in ſua Diſſertatione commendandam ſuſcepit. Apud Peruanos imperij iuſti formam ab Hiſpanis inuentam haud dubiũ eſt, eoſque elegantioris eſſe ingenij, quam cæteri qui in illa parte Americę degunt. Sed illos cum Sinenſibus conferri poſſe, haud facile admittent qui vtrorumque ingenia & mores accurate inſpexerint; nec apud Peruanos induſtria & artium mechanicarum ſtudia tantópere floruêre: alia fuit politiæ ratio, alia ædificiorum forma, alia oppidorum ſtructura: nihil quod Sinenſium induſtriam ſapit aut vel leuiter æmulatur. Deinde ſi ex Oriente accerſendi ſint Peruani, plura & in continenti & in Inſulis ingenia iuſti ac magni imperij capacia, nec inelegantia. Cur autem hic prætereuntur Chilenſes; natio non minus induſtria quam Peruana; & propinquior freto à quo Clariſſ. Vir orſus eſt? non enim ij originem ſuam Peruanis debent.

H. GROTIVS.

COnfirmant id reperta ad oram Pacifici maris reliquia nauigiorum Sinenſium, vt Hiſpani tradidêre.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

ORa Pacifici maris in immenſum patet, qui ad oram Peruuiæ, quamuis ſatis longam, reliquias nauigiorum Sinenſium repertas tradiderint, ignoro, nondum aliquem Hiſpanum idoneæ fidei legi qui hoc traderet. Neque cuiquam veriſimile fiet vaſtum illum Oceanum intuenti, & auram ſemper aduerſam, nauigationemque pariter longiſſimam & difficillimam: Ita vt facilius recta ex India per mare Atlanticum potuerint venire Sinenſes. Sed neque illi tam longinquas nauigationes ſuſcipiunt, vicinas prouincias & Inſulas maris Indici adire contenti. Neque naues eorum eiuſcemodi ſunt vt iactationem procelloſi maris ad Californiam ferre poſſint, quas Hiſpanorum vaſtæ naues vix tolerant. Notum enim quæ diſcrimina ſæpe adeant quæ à Philippinis ad Acapulcum veniunt. Et cum valido exercitu veniſſe oportuit Sinenſes, vt tam numeroſam gentem aut conderent aut ſubjugarent. Accedit quod apud Peruanos ante Hiſpanorum aduentum nulla nauigia maiora, veliferaue fuerunt inuenta, aut quicquam armorum quibus Sinenſes vtuntur: quum Peruani etiam ferri vſum ferè ignorauerint. Non eſt autem credibile aduenas è Sina omnem nauigandi artem ita penitus obliuiſci potuiſſe, aut patriæ me-

moriam deponere, vt non illam aliquandóq́;, quod longè facilius erat, inuiſerent.

H. Grotivs.

Nec mirum ſi multum nauigatu exercitos Sinenſes, in terras vno mari diuiſas aut quarendi curioſitas aut magnus humani generis propagator caſus, pertulerit.

Annotatio.

Omnino mirum eſſet Sinenſes, terras tam Vaſto mari, licet vno, diuiſas, aut ſtudio petere aut caſu in eas incidere potuiſſe: de California aut etiam Noua Hiſpania ſi hoc diceretur, aliquam fidem poſſet reperire: de Peruuia incredibile eſt. Primum caſu illud non potuit fieri, nam commeatus ipſis defeciſſet, qui non niſi ratione itineris inſtituti imponi in naues ſolet: & ſi diſtantiam conſideres, ventoſque aduerſos aut alicubi inſtabiles, non potuit ea nauigatio niſi octo aut nouem menſibus abſolui: ipſi vero propinquiores nauigationes ſuſcipiunt. Deinde ſi ſtudio illam tam longinquam nauigationem ſuſcepiſſent, omnino neceſſe fuiſſet mercium Sinenſium reliquias in Peruuia reperiri. Nec ſemel cœptā poſtea omiſiſſent. Denique nulla idonea ratio reddi poteſt, cur non potius Nouam

Digitized by Google

Hiſpaniam adiiſſent, quæ tanto propinquior erat: ſed neque inter hanc & Sinam ante Hiſpanorum tempora vllum fuit commercium: aut quicquam Sinenſium mercium ibi repertum.

H. GROTIVS.

SOlis cultus apud Peruanos fuit ante Hiſpanorum aduentum: Idem ab omni æuo præcipuus apud Sinenſes: & quomodo Rex Sinenſium filium ſe dicit Solis; ſic & Inchæ Peruani imperij Reges ſe dixêre.

ANNOTATIO.

SOlis cultus apud multas gentes viguit; omnibus pene gentilibus is fuit familiaris, vt id non arguat neceſſariò originem Sinenſem, non magis quam Græcam aut Latinam. Peruani vt tradit Acoſta, potiſſimum colebant *Pachacamac*, id eſt Creatorem. Huius enim templum erat principale Peruuiæ Sanctuarium. Eundem appellabant *Viracocha*, id eſt creatorem omnium: quidam & *Ticebiracocham* vt Guancę qui Xauxam incolebant: atque etiam Collæ. Secundo demum loco Solem. Tertio Tonitru, quod vocabant tribus nominibus, *Chuquiilla*, *Catuilla* & *Intullapa*. Vni enim dæmoni & pluuias & grandinem & tonitrua attribuebant: Idolis autem ſuis infantes im-

molabant. Vide plura lib.5.c.4. Sinenſes autē, ſi Trigautio credimus, qui diligentiſſime & oculatus teſtis de ipſorum religione vel potius ſuperſtitione eſt commentatus, ſolem præcipue non venerantur, ac ne colunt quidem, ſed cœlum & terram, aut etiam (nam in varias ſectas ſunt diuiſi) cæli & terræ Regem: ita vt Peruani in hoc cum Sinenſibus non conueniant: ſicuti nec in cæremoniis & reliquo Solis cultu: quorum nihil apud Sinenſes reperitur. Sed dices; *quomodo Rex Sinenſium filium ſe dicit Solis, ſic & Incha, Peruuiani Imperij Reges, ſe dixêre.* Quid tum? etiam Mexicani Solem adorabant; & Corteſium vocabant filium Solis, per excellentiam. Bene autem obſeruat Acoſta, dæmonem eadem arte vſum in ſeducendis Americanis, qua in Græcis & Romanis & aliis gentilibus. Sed cætera videamus.

H. Grotivs.

Scriptura Peruanis non per literas, ſed per rerum notas, idque à ſummo charta ad imum, vt in Sinis.

Annotatio.

Miror quis Clar. Viro hoc perſuaſerit, aut vnde id hauſerit: Peruanis chartam aut characteres ſiue rerum notas fuiſſe;

aut

aut Scripturam à ſummo chartæ ad imum, vt Sinis. Certe nihil magis alienum à vero dici potuit. Qui nobis rationem tradiderunt qua Peruani rerum memoriam conſeruabant, nihil tale, ſed longè contrarium tradunt. Conſulere debuiſſet, aut Ioſephũ de Acoſta, aut Incam Garcilaſſum de la Vega, qui natione fuit Peruanus, & quidem è familia regnantium, vt ipſe profitetur; alter autem diu in illis terris vixit, ita vt vterque idoneus teſtis ſit eorum quæ in Peruuia ſunt obſeruanda. Nulla ibi charta, nullæ rerum notæ vt Sinis, nulla ſcribendi induſtria. Nemo hoc hactenus prodidit, quod quidem ſciam, & ſi quis prodidiſſet fortè, vanitatis & erroris facile conuinceretur. Non debebat hoc viro Clariſſimo excidere, neque par erat coniecturam hanc ſuam de origine Peruanorum tanti facere. Authores illi, quos dixi, nobis exactè dederunt rationem qua Peruani rerum geſtarum memoriam conſeruabant, quam in deſcriptione noſtra retulimus. Habuerunt ad hæc cantilenas etiam ſuas, quibus maiorum & imprimis fortium virorum res geſtas celebrabant: quæ vltimam antiquitatem ſapiunt. Prior illa admodum laborioſa ratio & multum incerta, nuſquam alibi, quod quidem ſciam, quam in Peruuia fuit inuenta. Argumentum itaque hoc vt manifeſtè falſum, nihil pro ſententia Clariſſ. Viri fa-

Digitized by Google

cit: malo autem credere hoc ab aliquo ipſi perſuaſum, quam ipſum de induſtria commentum: ita ſæpe ab aliis falſi, etiam alios fallimus; & eiuſmodi fallaciæ quo maiores authores habent, ita facilius fidem inueniunt. Quare potius quid dicatur, quam quis dicat, eſt attendendum, quandoque bonus dormitat Homerus. Si Clariſſimus Vir id dixiſſet de Mexicanis, potuiſſet tolerari, licet eorum pictura & characteres multum differant à Sinenſibus, neque à ſummo chartæ ad imum deſcendant. Videndus Acoſta lib. vi. aliquot prioribus capitibus vbi hanc rem pleniſſime explicat. Vbi & notat Mexicanos contrario à Sinenſibus modo, ab inferiori parte ad ſuperiorem notas ſuas & characteres collocaſſe.

H. Grotivs.

Sinenſem quoque Mancacapacum fuiſſe arbitror, qui cum eſſet admirandi Vir & ingenij & animi, ac comperiſſet ſuæ gentis homines trans mare bonas obtinere terras, ſed nullo communi imperio Regi, eò ſe tranſtulit, diſperſos in corpus collegit, principatumque ſibi ac poſteris ſuis ad imperij Sinenſis inſtar conſtituit.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

MAncocapacum, ſiue vt aliis dicitur, Mangocapum fuiſſe Sinenſem & adueniſſe è Sina poſtquam iam ſui in Peruuia ſedes fixerant, non magis verum, quàm Peruanos à Sinenſibus ortos. Et mirum vnde id Clariſſimo viro perſuaſum fuerit, nam hæc cum monumentis Peruanorum minime conueniunt; aut cum ſana ratione. Si comperit ſuæ gentis homines trans mare bonas terras obtinere, oportuit vtique commercium inter vtramque gētem fuiſſe, neque enim aliter hoc comperire poterat, niſi ex iis qui in Peruuia terras illas bonas vidiſſent: Id autem nullo vel probabili indicio patere iam ſupra diximus. Nec Peruani nauigia habuerunt quibus Sinenſes adirent; & Sinenſibus arduum atque difficile erat Peruuiam adire. Qui Regum Peruanorum ſeriem nobis dederunt, Hunc Regem quidem primum in ordine ponunt: fuerit ſane admirandi vir & ingenij & animi: num propterea Sinenſem fuiſſe neceſſe eſt? etiam aliæ nationes, licet aliàs barbaræ, producunt interdum viros excellētes; atque hinc fere tyrannorum origo. Nemo antehac aut aduenam dixit, aut ſuſpicatus eſt. Cœpit autem imperare, & quidem ſatis anguſtis limitibus circiter quadringentis annis ante aduentum Hiſpanorum in Americam: dici-

turque oppidum Cuſco condidiſſe: neque ille imperio ſuo vſquam mare Pacificum attigit. Eſt enim id oppidum ſitum in Mediterraneis, quamlongiſſimè à mari. Eius poſteri imperium ſenſim auxerunt, vt ex iis conſtat quæ ab authoribus, ipſorum Peruanorum relatu & fide, ſunt tradita. Abnepos illius Capacypanqui primus imperium ad valles mari adjacentes promouit. Credo autem fuiſſe & alios regulos, qui communi imperio gentes illas regerent, ante hunc Mancacapacum, hunc autem propterea primum nominari quia conditor fuit vrbis dominatricis & primus monarchiam in illis partibus auſus eſt attentare. Veriſimile enim videtur, hîc vt & in noua Hiſpania & alibi plures regulos fuiſſe, qui deinde ab vno potentiore fuerunt abſorpti, aut aliqua graui occaſione ſuperiorem aſciuerunt: cuius rei ipſorummet relationes faciunt fidem.

H. Grotivs.

Qvod verò neque prope fretum Indorum Aſiaticorum lingua, neque in Peruano tractu Sinenſis lingua, manſit integra, eius rei cauſas eaſdem fuiſſe arbitror, quas de mutatione linguarum cis Iſthmum Panama iam modo attuli.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

LInguas lapſu temporis mutari certum eſt. neq; mirum; cauſæ notiſſimæ ſunt: ſed ita penitus aboleri quadringentorum annorum lapſu potuiſſe Sinenſem inter Peruanos, præſertim quum iiſdem rerum notis vterentur, & ſcriberent, (loquor ex Clariſſimi viri hypotheſi) id vero incredibile eſt, ſi elegantia Peruanorum ingenia aduertamus. Clariſſimus vir; quaſi certo conſtaret, Indorum Aſiaticorum linguam prope fretum eſſe, licet non integram, & in Peruano tractu Sinenſem, reddit rationem vnde hoc factum ſit. Sed primum probandum fuerat Indorum Aſiaticorum linguam prope fretum aliqua vel minima parte eſſe: & ad eundem modum Sinenſem in tractu Peruano. Tum facile daretur nihil eſſe cur hîc integram deſideremus magis, quam alibi. Fateor autem mihi nihil admirabilius viſum in illis Regionibus, quam tantam multitudinem diuerſiſſimarum linguarum: nam præter Mexicanam, Cuſcēſem, & Braſilienſem vix aliam vllam reperias, quæ vnã prouinciam excedat: venitque in mentem hoſtem humani generis, qui inter illas gētes potentiſſimè dominatur, hanc difficultatem Europæis & Chriſtianis objicere voluiſſe ne ad ſalutem conuertere miſeros poſſent. Ex hac autem multiplici lingua-

Digitized by Google

rum varietate, imprimis autem literarum & Scripturæ defectu fit, vt nihil certi de harum gentium originibus & migrationibus cognoſci poſſit.

H. Grotivs.

HÆc ſunt quæ de Americanarum gentium origine, partim ex traditione, partim ex conjectura colligere potui: quibus ſi quis habeat certiora, fruar lucro permutationis & pro eo lucro reddam gratias.

Annotatio.

EX iis quæ dixi, puto ſatis liquere, Clariſſimum Virum non bene vſum traditione, aut conjectura in origine gentium Americanarum explicanda. Alios autem iam magis veriſimilia dixiſſe. Hoc tantum Epilogi loco addam, laudandum eſſe ipſius conatum & gratiam habendam, quod de quæſtione difficillimæ indaginis ſuam ſententiam voluerit aperire. Ego autem ita iudico quum America tam late pateat quam noſter orbis, & non minus habitata fuerit, quam aut Europa aut Aſia, aut Africa, omnino credendum eſſe non ab annis quingentis aut mille primum habitari cœpiſſe, ſed ſtatim poſt confuſionem linguarum & diſperſionem illam familiarum

Digitized by Google

etiam in Americam migratum fuiſſe: nam aliàs non video quomodo idonea ratio reddi poſſit tantæ vbique per Americam incolarum multitudinis: & infinitarum fermè diuerſarum linguarum, & à ſe inuicem & ab Europæis toto cælo diſcrepantium. Neque tamen negandum puto, etiam ſubſequentibus ſeculis nouos aduenas acceſſiſſe, ſiue caſu, ſiue ex inſtituto in has aut illas partes ſucceſſerint. Poſt Chriſti fidem ſuſceptam id accidiſſe in animum inducere non poſſum, quia ne leuiſſima quidem Chriſtianiſmi veſtigia in hiſce partibus, vſquam inuenta. Caret autem vt puto, exemplo, nationem aliquam aut populum poſt ſacra Chriſtiana rite accepta, ita ea denuo obliteraſſe vt nihil eius eſſet reliquum. Quod autem aliquæ prouinciæ aut regiones quæ aliquando Chriſtianos habuêre nunc nullos habeant, id factum quia aut locum mutarunt incolæ, aut penitus ab aduenis exciſi ſunt. Deinde imprimis diſpiciendum exiſtimo per quas vias intrare potuerint; nam aut terrâ venerunt aut mari; & quidem mari illis primis temporibus aut dudum poſt, venire non potuiſſe argui t nauigandi primis illis ſeculis imperitia; quare terra potiſſimum veniſſe credẽdum, & diligenter inquirendum, diuortium inter Aſiam & Americam vtrum vllum ſit, aut quantillum ſit: itemque in illam connexio-

nem terræ Auſtralis cum noua Guinea. Nam aliis partibus nimis vaſtum diuortium facit Oceanus vterque. Ad hæc obſeruandæ hiſtoricorum indicationes, quum de gentium aliquarum migrationibus, ſeu voluntariis, ſeu coactis agunt. Coniecturis hîc minime fidendum puto, niſi quæ valde probabiles ſunt. Cæterum licet nondum gratias à Clariſſimo viro mereri poſſim ob certiora tradita, tamen ſpero non ingratum futurum, quod ea quæ certa eſſe ſibi perſuaſerat, partim incerta, partim falſa oſtenderim, neque illum diutius decipi paſſus ſim. Sed vt maiorem gratiam mereri poſſim, adjiciam & aliarum ſententiarum examen; & aliquot obſeruationes quæ ducere poſſint ad pleniorem huius difficillimæ quæſtionis ſolutionem.

Sententia P. Iosephi *de Acoſta*, *lib*. 1. *cap*. 16.

1. Neceſſe eſt Americæ incolas in illas regiones veniſſe, per vnam harum trium viarum: nam aut venerunt terra aut mari: & ſi mari, aut caſu aut animo deliberato.

2. Si caſu, vi tempeſtatum in illam fuerunt ejecti aut propulſi: ſi deliberata voluntate, propoſitum habuerunt nouas terras inquirendi.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

OMnino aſſentior aliam viam ordinariam non dari, neque neceſſe eſſe aut miraculum comminiſci aut fabuloſa ſectari; Deus qui orbem incolis impleri voluit, etiam vias illis aperuit, quibus poſſint aditũ ad omnes partes inuenire: nam cum mundum in aridum ſiue terram, & humidum, id eſt maria diſtinxiſſet: terram hominibus & animalibus inhabitandam dedit, ſicut aquas piſcibus. Sed non eſt neceſſe vnam aliquam viam harum trium eligere, cum omnes tres hîc locum habere poſſint; nam quod nobis caſu fieri videtur, etiam prouidentia diuina ordinatur.

3. Rationes idoneæ reddi poſſunt Americanos nauigando, ſicut hodie, in illas terras aduenisſe. Potuit enim tunc fieri quod hodie factum videmus, & quod quotidie adhuc tentatur. Siquidem S. Scriptura refert, Regem Solomonem accepiſſe à Tyriis & Sidoniis nautas, & gubernatores nauigandi peritos, & ipſorum auxilio nauigationem trium annorum perfeciſſe.

ANNOTATIO.

DE Regis Salomonis & aliorũ veterum nauigationibus paulo poſt dicemus.

4. Verum, *inquit Acoſta*, alterius ſum opinionis, neque mihi poſſum perſuadere, pri-

mos incolas in Americam veniſſe nauigatione ordinaria & ex propoſito inſtituta.

5. Neque enim concedo, antiquos eam induſtriam nauigandi habuiſſe, quam hodie habemus: non inueni apud illos notitiam magnetis aut vſum illius in nauigando, ſine quo impoſſibile videtur Oceanum penetrare.

6. Plinius enim quum in Hiſtoria ſua Naturali lib 36. c. 14. & alibi, commemoret admirandas proprietates Magnetis, nuſquam facit mentionem illius quæ vel præcipua eſt, quod ferrum contactum reſpicere faciat Arctum. Sicuti neque Ariſtoteles, neque Theophraſtus, neque Dioſcorides, neque veterum authorum quiſquam.

7. Accedit, quod neque Plinius neque quiſquam veterum meminit pixidis nauticę aut magneticæ huius virtutis: Solummodo notam artem obſeruandi ſidera inter nauigandum à Phœnicibus eſſe acceptam.

8. Certum autem eſt veteres tantum in nauigando obſeruaſſe ſidera, notaſſe orarum ductum, promontoria & terrarum faciem. Vbi horum conſpectus ſe ſubduxerat, à ventis ſe agi patiebantur.

Annotatio.

SCientiam nauigandi multum profeciſſe poſterioribus hiſce ſeculis, neque vſum

Digitized by Google

Magneticæ pixidis veteribus notum fuiſſe, in confeſſo eſſe exiſtimo, neque tamen propterea omnino incredibile eſt, veteres, ante vſum illius cognitum, Oceanum nauigaſſe: nam ad ſiderum conſpectum etiam curſus ſuos direxiſſe manifeſtum eſt, & terras petiiſſe longe à conſpectu remotas, cuius rei fidem facit, quod inſulas petierint ducenta, trecenta & plura milliaria à continente remotas; in quo & venti eos ducere potuêre, poſtquam ſemel comperer ant ad quam mundi plagam à continente diſtarent. Et hominum curioſitas, cum audacia coniuncta, ſemper vltra tendit & nihil fere relinquit inauſum. Itaque nulla ratio nos vetat credere, veteres ex inſtituto terras alias, etiã longius ſitas, quam forte opinabantur, nauigando Oceanum petiiſſe. Neque velim hanc viam omnino nobis adimi. Deinde non eſt ſatis validum argumentum, quia veteres illi Græci & Latini ignorarunt vſum Magnetis in nauigando, propterea etiam Orientalibus omnibus ignotum fuiſſe: fatetur enim Acoſta, à Vaſco de Gama illius vſum fuiſſe obſeruatum, apud Æthiopes ad oram Mozambique habitantes, neque prodi à quibus illum acceperint: quod mihi haud leue indicium videtur, iam à multo tempore Africanos iſtos vſum illum nouiſſe: atque idem haud improbabiliter dici poſſet de Aſiaticis. Videmus enim Aſiaticos

vel remotiſſimos multas artes ſciuiſſe antequam Europæi eas vel leuiter attingerent, vti Typographicam & Tormentariam & ſimiles. Non autem eſt dubitandum quin experientia & induſtria poſterioribus ſeculis multum adiecerit, quemadmodum omnes omnino artes ætate proficiunt. Vnde factum, vt etiam obſeruatum ſit, quibus locis Magnetica linguula recte Arctum deſignet, quibus autem ad ortum aut occaſum declinet; quod ſuperiori ſeculo debemus. Quod autem ibidem c.18. P. Ioſephus de Acoſta ad obiectionem de claſſe Solomonis reſpondet, magis rationi conſentaneum eſſe, tum nauigatum fuiſſe in conſpectu terræ & ſecus oram; eadem facilitate refelli poteſt, qua aſſeritur: præſertim cum certum ſit veteres illos nauigaſſe ad Inſulas etiam longè à continente remotas, vt ad Fortunatas, ad Heſperidas & alias. Denique, veteres non niſi remis nauigaſſe plane eſt contra Hiſtoriarum omnium fidem, quæ & antennarum & velorum ſæpe meminerunt: & ſemper diſtinguunt inter veliferas naues & eas quæ remulco trahebantur.

9. Porro primos illos Americæ incolas caſu & tempeſtatibus actos ad illas regiones perueniſſe nō eſt incredibile, licet Oceanus immenſum pateat. Eo enim modo nauta, ille qui Columbo præiuit, nouum illum orbem inuenit; atque ad eundem modū etiam alij.

10. Idque non noſtro tantum ſeculo, ſed & antiquioribus ſeculis: ſiquidem Plin. narrat lib. 11. c. 67. in Arabico ſinu res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragiis feruntur agnita.

ANNOTATIO.

QVod hîc dicitur de nauarcho illo ſeu gubernatore, qui Columbo præiuerit, id narrat Gomara, & imprimis Mariana, lib. 26. c. 3. *Nanis quædam*, inquit, *in Africæ commercio occupata ſuperioribus annis ventorum violentia abrepta ad ignotas terras & littora appulit. In reditu vectoribus & nautis fame extinctis, Nauarchus cum tribus aut quatuor ſociis Maderam inſulam, quæ in ditione Luſitanorum erat, tandem tenuit mortuo quam ſpiranti ſimilior. Agebat forte in ea inſula* Chriſtophorus Columbus *natione Ligur, (nam & vxorem in Luſitania duxerat) ingentis animi vir ſingulari induſtria; quod erat præcipuum rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hoſpitio Nauarchũ; qui longinquæ nauigationis laboribus fracto corpore, breui extinctus commentaria quæ de tota nauigatione confecerat, Columbo reliquit. Quæ ſi vera cauſa fuit; ſiue ex Aſtronomica diſciplina, aut à quodam Marco Polo medico Florentino edoctus: ſtatuit quaſi rem minime dubiã trans noti orbis terminos, etiam*

ad occidentem Solem, magna terrarum ſpatia patere, &c. Caute ille, *quæ ſi vera ſunt:* nam nihil certius eſt quam Columbum ex Geographiæ atque Aſtronomiæ ſcientia,& globi orbe iudicaſſe,omnino neceſſe eſſe Oceano enauigato in terram incidere : & Hiſpanos extranei gloriæ inuidentes hanc fabulam finxiſſe, quemadmodum ante nos Rhamuſius, & Benzo; atque adeo Franciſcus Ouiedus obſeruarunt. Vt mirum ſit Acoſtam id aut non animaduertiſſe aut diſſimulaſſe. De nauibus Hiſpanienſibus in ſinu Arabico agnitis par eſt ratio; neque enim veriſimile Hiſpanos tum temporis tam longinquas nauigationes ſuſcepiſſe; ſed hæc auidè arrepta à Caſtellanis vt Luſitanorum gloriæ detererent. Sin autem quis credibile hoc putat, multo facilius Hiſpani in Americam potuerunt peruenire.

11. Et adjicit poſtea; idem Nepos de Septentrionali circuitu tradit,Q. Metello Celeri, C. Afranij in conſulatu collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli, Indos à Rege Sueuorum dono datos,qui ex India commercij cauſa nauigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti.

12. Certe ſi Plinius verum dicit,non nauigant hodie Luſitani longius quam illis duobus naufragiis factum, vno ab Hiſpania ad mare Erythræum, altero ab India Orientis in Germaniam.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

POteſtne cuiquam veriſimile videri quod hîc è Nepote profert Plinius? ingentem & longiſſimam tempeſtatem fuiſſe oportet, quæ Indos illos à mari Indico in Atlanticum & deinceps in Germanicum expulerit. Sed aſtu quodam ab Acoſta hæc duo naufragia, vt vocat, coniunguntur, vt priore Columbo, altero Luſitanis gloriam tam nobilium & longinquarum nauigationum adimat. Prætermittit enim media quæ magis veriſimilia ſunt, ſed Hiſpanis non fauent. *Et Hanno*, inquit, *Carthaginis potentia florente, circumuectus à Gadibus ad finem Arabiæ, nauigationem eam prodidit ſcripto: ſicut ad extera Europæ noſcenda miſſus eodem tempore Himilco. Præterea Nepos Cornelius author eſt, Eudoxum quendam ſua ætate, cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades vſque peruectum: multoque ante eum Cœlius Antipater, vidiſſe ſe, qui nauigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam commercij gratia.* Quæ ſi ex fide ab illis authoribus narrata fuerunt, Carthaginenſibus, vt à Sidoniis ortis, ea gloria debetur, quod Africam ambiuerint nauigando. Quum autem ſuperiori ſeculo id Luſitanis acciderit, vt eadem nauigatione Indiam petentes Braſi-

liam caſu inuenirent, potuit & primis illis temporibus eueniſſe vt in Americam abducerentur, qui illam colerent & incolis augerent.

13. Idem author ſcribit lib. 6. cap. 22. de Taprobane. *Hactenus à priſcis memorata; nobis diligentior notitia Claudij principatu contigit, legatis etiam ex inſula aduectis. Id accidit hoc modo. Annij Plocami, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans, Aquilonibus raptus præter Carmaniam decimo quinto die Hippuros portum eius inuectus*, &c. Taprobane autem hodie dicitur Samatra.

Annotatio.

Taprobanen veterum, eſſe hodie Samatram, vulgo creditur: quamquam illa quæ Plinius ibidem ſcribit Samatræ non benè conueniant, Samatra enim maxima ſui parte iacet intra Æquatorem & Tropicum Cancri: non poterant itaque incolæ mirari vmbras ſuas in noſtrum cœlum cadere Sole exiſtente in Tropico capricorni, aliaque quæ ibi legatos aut narraſſe aut miratos commemorat. Sed eſto Samatra, hæc nauigatio haud ita mirabilis. Gaſpar Varrerius in Commentario ſuo de Ophyra regione: *Vt à nobis*, inquit, *in quibuſdam noſtris Geographicis obſeruationibus ſatis diſputatum eſt, conſtat eam eſſe inſulam Taprobanam, qua* *hil*

his temporibus eodem ipſo pene nomine Seilam appellatur, quo iam olim, auctore Ptolomæo fuerit nuncupata. Et ſic nauigatio iſta adhuc minus mirabilis eſſet.

19. Narrant quoque, vnam Carthaginienſium nauem è mari Mauritaniæ à ventis orientalibus eò vſque fuiſſe abductam, vt in conſpectum noui orbis veniret.

ANNOTATIO.

QVi hoc narrent, non adſcribit Acoſta, credo illum innuere locum in Admirandis Auſcultationibus, quæ Ariſtoteli tribuuntur. Vbi ita legimus: *Extra columnas Herculis, aiunt in mari à Carthaginienſibus inſulam fertilem deſertámque inuentam: vt quæ tam ſiluarum copia quam fluminibus nauigationi idoneis abundet, cum reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans à continente plurium dierum itinere: in qua cum Carthaginienſes quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare ac habitare cœpiſſent, ferunt Præſides Carthaginienſium, nequis deinceps inſulam ingrederetur, pœna capitis interdixiſſe, incolaſque ejeciſſe, ne coïtione (ſi illic habitare pergerent) facta inſulæ principatum conſequerentur, & Carthaginienſes ea fœlicitatis parte priuarent.* Hæc quidam de Hiſpaniola acceperunt, verum alij affirmāt de aliqua alia Oceani inſula accipienda; neque enim veriſimile eſt Pœnos crebro tam

Digitized by Google

longinquam nauigationem ſuſcepiſſe. Alij opinãtur Pœnos illos delatos fuiſſe in Braſiliã, & Barbaros illos eſſe Punicæ originis.

15. Non eſt res noua, iis qui aliquam habent experientiam maris, interdum currere tempeſtates tam vehementes & duras, abſque vlla remiſſione. Accidit mihi quum in Indiam tenderem, primas ab Hiſpanis habitatas terras attingere, decimo quinto die poſtquam à Canariis ſolueram, & ſine dubio adhuc breuior fuiſſet nauigatio, ſi vela dediſſent orientali vento qui perflabat. Ita vt mihi valde veriſimile videatur, præteritis temporibus ad Indias veniſſe homines à furore ventorum ſuperatos, ſine ſuo propoſito.

Annotatio.

Fateor id omnino veriſimile eſſe, poſtquam Oceanus extra Europam & Africam nauigari cœpit, ita vt hac via etiam incolæ in Americæ continentem & inſulas venire potuerint. Sed omnes ea via veniſſe mihi non videtur veriſimile, vti neque Acoſtæ.

16. Multa memoria eſt in Peruuia Gigantum, qui in illas partes venerint, quorum adhuc oſſa deformis magnitudinis reperiãtur iuxta Mantam & Porto Vieyo; & ſecũdum proportionem fuerint iſti homines triplo proceriores quã hodierni Indi. Aiunt

illos Gigantes veniſſe per mare, & bellum intuliſſe indigenis, & ſuperba ædificia ſtruxiſſe, & monſtrant hodiéque puteum factũ è lapidibus magni pretij. Dicunt præterea illos homiñes enormia peccata committentes, & potiſſimum illud contra naturam, ab igne è cælo deciduo cõſumptos & abolitos;

ANNOTATIO.

GIgantes in hiſce terris Americæ fuiſſe ſatis probabile videtur: idem enim narrant Tlaſcaltecæ in noua Hiſpania de Chichimecis gigantibus. Acoſta lib. 7. c. 3. *Nemo*, inquit, *miretur quod dicitur de iſtis gigantibus, quia etiam hodie inueniũtur oſſa humana incredibilis magnitudinis. Quum Mexicæ agerem anno 1586. inciderunt in eiuſmodi gigantem ſepultum in noſtrorum prædio, quod dicitur Ieſus del monte, & oſtenderunt nobis molarem, qui ſuperabat pugnum humanum, & eadem proportione cæteros, quem vidi, & miratus ſum eius deformem magnitudinem.* Quin etiam hodie in variis partibus Americæ produ͂tur homines, qui proceritate multum ſuperant homines noſtri orbis. S. Scriptura etiam gigãtum meminit in Cananæa. Vnde mihi venit in mentem tranſmigrationem in Americam non diu poſt diſperſionẽ gentium eſſe factam, ſed mari in Americam veniſſe, vt Peruani volunt, id neutiquam

veriſimile videtur. Nam magis probabile videtur Chichimecas illos contiguitate terrarum in vlteriora penetraſſe, & conueniunt mores & vitia.

17. Adhæc narrant incolæ Ycæ & Aricæ, conſueuiſſe ſe olim nauigare ad inſulas remotas, & nauigabatur pellibus luporum marinorũ inflatis. Ita vt non deſint indicia, mare meridionale nauigatum fuiſſe, antequam Hiſpani illuc veniſſent. Et liceat ſuſpicari nouum orbem habitari cœpiſſe ab hominibus, qui à tempeſtatibus, & Aquilonibus in eum fuerint abrepti, quemadmodum demum factum eſt noſtris temporibus. Et ſerio animaduertendum etiam, res naturales maximi momenti, maximam partem, magis caſu repertas ſine propoſito, quam hominum induſtria aut diligentia: maxima pars herbarum ſalutarium, lapidum, plantarum, metallorum, vnionum, auri, magnetis, ambari, adamantis & ſimilium rerum: earumque proprietates & facultates vſuſque magis innotuerunt per accidentia & caſu, quam arte & induſtria humana, vt appareat laudem & gloriam talium mirabilium, attribuendam eſſe magis diuinæ prouidentiæ Creatoris, quam ingenio hominum. Nam quæ nobis caſu videntur fieri, Deus ex propoſito ordinat.

18. Concludo itaque, (inquit Acoſta cap

10.) eſſe probabile opinari, primos incolas in Americam naufragio & tempeſtate maris actos.

19. Sed offert ſe hîc difficultas, quæ me valde exercet, nimirum, licet demus, homines per mare veniſſe ad terras tam remotas, & ab iis nationes multiplicatas, quas videmus; verum de beſtiis, quæ naſcuntur in nouo orbe multæ & grandes, non video quomodo aggreſſi fuerint illas in naues imponere, & per mare vehere in Americam. Ratio eſt, quia cogimur dicere homines Americanos veniſſe ex Europa aut Aſia, ne contradicamus S. Scripturæ, quæ manifeſto docet, omnes homines deſcendere ab Adamo, itaque non poteſt dari alia origo Americanis. Et quum eadem diuina Scriptura dicat, omnes beſtias & animalia terræ periiſſe, præter illa quæ in Arca fuerunt conſeruata: neceſſarium quoque, propagationem eorundem animalium deducere ab iis quæ ex Arca prodierunt, in montibus Ararat, vbi illa conſtitit.

ANNOTATIO.

EST itaque hæc hypotheſis neceſſaria, quam qui diuinæ Scripturæ credunt, in dubium vocare non poſſunt; omne genus humanum, omniaque animantia terreſtria, denuo in orbe vniuerſo propagata fuiſſe, ab illis hominibus & animalibus quæ

Digitized by Google

Deus in Arca Noachi voluit ſupereſſe diluuio. Et ſane hæc hypotheſis indaginem huius quæſtionis reddit duplo difficiliorem: è qua non facile nos expediemus, niſi terreſtris via inueniatur aut ſaltem anguſto freto dirempta.

20. Quare neceſſarium eſt viam reperire non minus per quam beſtiæ, quam per quam homines è noſtro orbe in nouum venerint.

21. S. Auguſtinus tractans hanc quæſtionem, (lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 7.) quomodo in quibuſdam inſulis reperiantur lupi, tigres, & aliæ feræ, quæ hominibus nulli vſui ſunt; nam elephantes, equos, boues, canes & animalia alia quæ hominibus ſeruiunt, non eſt difficile credere, induſtria humana eſſe traducta per mare in nauibus, quemadmodum hodie videmus ex oriente in Europam, & ex Europa in Peruuiam tam prolixa nauigatione fieri: verum animalia quæ nulli vſui ſeruiunt, ſed potius damnoſa ſunt, vt ſunt lupi, quomodo venerint in inſulas, ſi verum ſit, vti eſt, diluuium totam terram obruiſſe. Tractans hãc quæſtionem ſanctus & doctiſſimus Vir conatur ſe expedire ex hiſce anguſtiis dicendo; eiuſmodi beſtias tranaſſe ad inſulas, aut aliquem venationis cupiditate traduxiſſe, aut Dei ordinatione, terrã iuſſam illa producere, quemadmodum in prima creatione Deus dixit:

Digitized by Google

Producat terra animam viuentem in ſuo genere, iumenta & animalia reptantia & feras campeſtres ſecundum ſuas ſpecies.

22. Verum ſi applicemus hanc ſolutionem ad noſtrum propoſitum, magis impeditur negotium. Nam incipiendo à poſtremo, non eſt conueniens ordini naturali, neque conforme gubernationi à Deo conſtitutæ, animalia perfecta, qualia leones, tigres, lupi, producantur è terra ſine generatione. Eo modo producuntur ranæ, glires & apes, & alia animalia imperfecta. Sed quare Scriptura ſacra ita particulatim dicit; Accipies de omnibus animalibus & auibus cæli ſeptem & ſeptem, mares & fœminas, vt generatio earum ſeruetur ſuper terram, ſi mundus poſt diluuium illas habiturus erat per nouum modum productionis extra conjunctionem maris & fœmellæ? & adhuc alia quæſtio ſupereſt, ſi ſecundum hanc opinionem terrâ nata fuerunt eiuſmodi animalia, cur non reperiantur in omnibus terris & inſulis? quia iam non conſideratur ordo naturalis multiplicandi, ſed ſola liberalitas Creatoris.

ANNOTATIO.

Recte rejicit hanc ſolutionem, ſed cur ranas aut mures numeret inter animalia imperfecta, non video, quum cer-

Digitized by Google

tum ſit hæc ordinario more & coire & geſtare & parere: illas quidem vt piſces; hos vero vt alia animalia terreſtria.

23. Traducta fuiſſe eiuſmodi animalia ad venatum, (quæ eſt altera reſponſio) non puto incredibile, quia millies videmus Principes & magnates magnificentiæ tantum cauſa alere in caueis leones, vrſos & alias feras, præſertim quum à longinquis regionibus ſunt petitæ. Verum credere de lupis & vulpibus, & de aliis eiuſmodi animalibus vilibus & inutilibus, quæque tantum faciunt ad damnum inferendum pecoribus, ad venatum accerſita eſſe per mare, omnino caret ratione. Quis ſibi perſuadeat, homines nauigatione tam longinqua ſtuduiſſe in Peruuiam ducere vulpes, maxime eas quas vocant Annas, genus tam obſcœnum & fœtidum quam vnquam viderim? Quis dicat traduxiſſe leones & tigrides? Difficillimum & mirabile fuerit homines in tam prolixo itinere tempeſtatibus actos, vt diximus, vitam potuiſſe conſeruare, quanto magis vehere vulpes & lupos & illos alere in mari; ridiculum fuerit illud vel imaginari. Porro ſi venerint per mare, ſolum reſtat vt tranauerint. Id poſſibile eſt & facile, quantum ad inſulas quæ parum diſtant ab aliis, aut à continente; conſtat enim experientia eiuſmodi animantia

Digitized by Google

dies noctesque integras aliquando in graui neceſſitate natare, & tandem in terram euadere. Verum hoc intelligendum de minoribus fretis. Nam Oceanus noſter rideret eiuſmodi natatores, ſiquidem & auibus maximi volatus deficiunt alæ ad tranſeundum tantum abyſſum. Videntur quidem aues, quæ volant centum leucas, vti ſæpe nauigantes conſpeximus, ſed totum Oceanum volando tranſire impoſſibile aut ſaltem difficile.

29. Hæc cum ita ſe habeant, quam viam aperiemus beſtiis & auibus in Americam? quo pacto tranſire potuerunt ab vno orbe ad alterũ? Hic diſcurſus ſuggerit mihi grandem coniecturam, opinari nouum orbem quem vocamus Indias, non eſſe omnino diuiſum & diremtum ab altero orbe. Et vt meam opinionem proferam, credo iam diu, vtramque terram alicubi coniungi, aut ſaltem valde vicinas eſſe. Hactenus ſaltem non liquet contrarium.

ANNOTATIO.

HÆc ſane via inſiſtenda eſt ad homines & animalia terreſtria in vaſtam hanc continentem introducendum: de auibus non eſt quod ſolliciti ſimus. Nam vt nauigationibus ſiue ex inſtituto ſiue caſu aliquid tribuamus; illis viis tanta hominum multitudo propagari non potuit; neque quadru-

pedum variæ ſpecies in illas regiones traduci: neque antiquioribus ſeculis tam viſitate nauigatum fuiſſe comperimus. A Tyriis & Sidoniis & ab eorum colonis Pænis hæc induſtria cœpit & ſucceſſu temporis creuit.

25. Nam verſus polum Arcticum, quem vocant Septentriones, non eſt detecta aut cognita tota longitudo terrę, & non deſunt multi, qui affirment ſupra Floridam terram latiſſimè patere ad Arctum & pertingere ad mare Scythicum aut etiam ad Germanicum.

Annotatio.

QVo vſque orarum ductus ab Cornu Floridæ cui Cuba obiacet, verſus Arctum ſe portendat, multorum nauigationibus iam ſatis cognitum eſt; & ſuperioribus annis, Anglorum imprimis induſtria & diligentia, patuit Continentem ſeptentrionalem Americæ, illa regione, nullo freto diuiſam eſſe, per quod ad Aſiam penetrari poſſit (quod quærebatur imprimis) ſed coniunctas eſſe terras illas omnes, vtcunque vaſti Sinus in illas incurrant, & continentem multis locis magno interuallo ſeparent. Sed hoc ſimul experientia docuit, illas regiones tanto frigore aduri, tam alta niue fere omnibus anni tempeſtatibus opprimi, vt non niſi difficillimus ea parte tranſitus imaginari poſſit. Ad hæc iam ſatis exploratum

Digitized by Google

omnem illam regionem,& imprimis Gronlandiam, quæ proxime ad Europam accedit, ſatis lato freto diuiſam eſſe ab extremo Norvvegiæ, qua latiſſime ad mare Germanicum patet, promontorio, quod vocant *de Northcaap*; vt omnino coniunctio, magno citra polum Arctoum gyro, apud Cathayam, & extra circulum Arcticum ſit quærenda. Atque hæc via mihi ſemper maxime procliuis, neque difficilis viſa, atque adeo compendioſa, ſi animaduertamus vbi Arca Noæ conſtiterit, vbi primi illi gentium propagatores habitarint, vnde ad orbem habitatoribus implendum fuerint profecti, quò illos qui orienti Soli obuiam ire in animum induxerant, erat procliue proficiſci: nam mediam regionem inter calorem nimium & frigus ſectatos omnino probabile eſt,& aſpera quæque, atque horrida vitaſſe: & quum nauigandi ſcientia nondum inuenta eſſet, terreſtri itinere proceſſiſſe, vbicumque mare alicuius latitudinis erat obuiū, in latera ſe diffudiſſe, vbi breue & anguſtum, ratibus aut aliis adminiculis quæ neceſſitas inuenit, induſtria poſtea auxit, traieciſſe. Ab extremo autem Europæ cornu, quod iam diximus, ad promontorium vſque Bonæ-ſpei maximus abyſſus intereſt inter Europam atque Africam, & Americam vtramque.

26. Alij ſuggerunt, fuiſſe, qui nauigantes

Digitized by Google

ſecus has oras retulerint *Bacalaos* (ita vocat terras poſt Floridam) excurrere pene ad fines ipſius Europæ.

Annotatio.

Ita eſt, nam Gronlandia quæ continua eſt cum reliquis Americæ Septentrionalis prouinciis, ex aduerſo reſpondet promontorio Arctoo Europę ad extremum limitem Lappiæ vt ante diximus, ſed ibidem ſatis lato interuallo, an alibi propius Aſiæ accedat, hoc adhuc quærimus.

27. Porro vltra Promontorium Mendocinum ad mare meridionale non magis ſcitur quo vſque terra procedat, niſi quod omnes dicant in immenſum currere.

Annotatio.

HÆc demum regio eſt, quam veriſimile eſt cum Aſia ſe coniungere. Promontorium quidem *Mendocinum* (quod notum eſt, quia venientes à Philippinis id ſolent velificando adire, & deinceps ſecus oram curſum verſus nouam Hiſpaniam inſtituere) adhuc longius abeſt ad ora Aſiæ, & Californiæ continens (niſi forte ſit Inſula, vt tabulæ quædam Hydrographicæ oſtentant) ab illo magis magiſque declinat verſus Corum & ad illud, non magis famoſum, quam incertũ, fretum Anian. Si tamen audiamus eos qui inquiſitioni eius operam

Digitized by Google

dederũt, fretum illud quo magis ad Arctum promoueris, eò magis ſe cogit in anguſtias; vt maxime credibile ſit è regione extremæ Aſię haud admodum latum eſſe & forte non latius quam Gaditanum fretum aut Magallanicum. Præterea multis exemplis doceri poteſt, freta ſucceſſu temporis latiora fieri, æſtu vtrimque littora arrodente: ita vt non liceat dicere multa olim ita fuiſſe vti hodie ſunt. Multum vbique Oceanus ſibi ſumit, & nunc altum æquor eſt vbi quondam terra fuit. Quid multa? omnino mihi perſuadeo, hac potiſſimum parte hominibus & animantibus ad Americam aditum eſſe factum.

28. Sed conuertamus nos ad polum antarcticon, nemo eſt qui ſciat, vbi deſinat terra, quæ iacet vltra fretum Magellanicum. Epiſcopi Placentiæ nauis enauigato Freto retulit, ſe ſemper vidiſſe terram; idem affirmauit & gubernator Fernandus Lamerus, qui tempeſtate actus fuerat duos aut tres gradus præter Fretum.

ANNOTATIO.

VEram huius regionis faciem noſtrorum nauigationes tandem aperuerũt; Freto ad Auſtrum obiacent plurimæ inſulæ, extra eas patentiſſimum eſt mare & verſus Auſtrum & verſus Fauonium. Nuſquam

terra coniungitur aut anguſto freto diuiditur niſi verſus orientem & nouã Guineam, quam vocant; in Indico mari etiam plurimæ inſulæ obſeruatæ, aliæ latioribus,aliæ anguſtioribus fretis à ſe inuicem & à continente Aſiæ diuiſæ. Proximè ad continentem Aſiæ accedunt Philippinæ è regione Sinæ. Bornea & Samatra ex aduerſo Malaccæ. Madagaſcar quidem & Africæ proxima eſt, ſed extra eam patentiſſimum eſt mare nec ſatis exploratum. Ita vt nullus aditus hac parte ad Americam pateat niſi per terras illas quæ fretum Lemaire, ingredientibus ab Arcto,ad ſiniſtram ſunt.

29. Ita vt non ſit ratio in contrarium, aut experientia, quæ deſtruat coniecturã meam aut opinionem, totam terram coniungi in aliqua parte, aut ſaltem propius accedere. Si id verum eſt, quemadmodum mihi videtur: facile eſt reſpondere ad dubium tam difficile, quod propoſuimus, quomodo primi incolæ in Americam tranſiuerint: reſpondebitur enim, non tam nauigando per mare, quam ambulando per terram eo tranſiuiſſe: idque mutando loca pedetentim, ita enim ſine cura aut incoluerint iam inuentas terras, aut alias quæſiuerint, atque ita ſucceſſu temporis impleuerint Americam tot nationes, gentes & linguæ.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

OMnino neceſſe eſt ita credere, & prouidentiæ Creatoris hoc maxime congruum eſt, quum vniuerſum orbem incolis impleri voluerit, commodam viam reliquiſſe qua illud perficeretur. Mare nauigare magis ab audacia hominum natum eſt quam ab inſtituto Dei, qui terram hominibus dedit, vti piſcibus mare: licet nuſquam eius prouidentia abſit.

30. Adiuuanr ſententiam hanc quam expoſuimus, indicia quæ ſe offerunt iis qui attente aduerterint quomodo Indiæ habitentur. Nam vbicumque reperitur inſula paulo remotior à continente aut aliis inſulis, qualis Bermuda, omnino ſine incolis reperitur. Ad id allegatur, quod in nulla parte Americæ repertæ fuerint naues grandes, quales requiruntur ad trajiciendum patentius mare. Reperiuntut ibidem rates, piragnæ, Canoæ, quæ omnes minores ſunt lembis, quos vocamus chalupas: talibus ſolis vtebantur Americani, cum quibus in altum prouehi non poterant ſine manifeſto diſcrimine: & etiamſi grandes naues habuiſſent, ignorabant vſum pixidis magneticæ, aſtrolabij atque quadrantis. Si octodecim dies fuiſſent ſine conſpectu terræ, omnino perire neceſſe fuiſſet. Videmus quaſdam inſulas incolis

Americanis frequentiſſimas & nauigationes ipſorum vſitatiſſimas : ſed quales dixi, quas perficere poterant minoribus illis cymbis ſine pixide nautica.

21. Quum Americani degentes iuxta Tumbez (*vallis eſt in Peruuia*) primum viderent Hiſpanos noſtros allabentes & conſpicerent grandia vela expanſa, naueſque grandiores, ſtabant attoniti : & quum non poſſent in animum inducere eſſe naues, quia nunquam eius formæ aut molis viderant, credebant primo eſſe rupes extantes in mari : ſed cum viderent promouere, neque abſorberi, præ metu obſtupeſcebant aliquandiu, donec animaduerterent homines barbatos in illis diſcurrere, tum vero crediderunt eſſe dæmones, aut gentem è cœlo delatam. Ex quo ſatis apparet quam alienum ſit ab Americanis habuiſſe aut naues aut vllam earum cognitionem.

Annotatio.

ATtendat hæc Vir Clariſſimus, qui è Sinis incolas in Peruuiam nauibus adducit. Et conſideret præterea à Lima & omni pene ora illius Americæ meridionalis, ad inſulas Philippinas quæ Sinis obiacent, interuallum eſſe duarum millium & ſexcentarum leucarum, neque nauigationem illam hodie, ventis ſemper ſecundis, tantaque nauigandi induſtria minus quam duobus

duobus menſibus abſolui. A Philippinis ad Americam longe aliam rationem eſſe ineundam, cum venti intra tropicos ſemper ſint aduerſi, & varij extra tropicum quærendi ſint, & longiſſimo gyro oræ obeundæ. Ad ipſam Peruuiæ oram pene omnibus anni menſibus regnant venti Auſtrales, ita vt & à Panama ad Limam longa & difficilis ſit nauigatio præterquam tribus ad ſummum menſibus.

32. Eſt & alia ratio quæ confirmat opinionem iam dictam, animalia nimirum illa quæ diximus, non eſſe credibile nauibus aduecta ab hominibus, quia reperiuntur quidem in Continente, non autem in Inſulis, quæ diſtant à Continente vel quatridui nauigatione.

33. Inquiſiui hanc rem diligentiſſime, quia videbam ſententiam meam eâ maxime confirmari, Americam, Europam, Aſiam, Africam alicubi contiguas eſſe aut ſaltem vicinas. Reperiuntur in America multæ feræ, vti leones, licet neque magnitudine neque ferocia, ne colore quidem cum Africanis ſint comparandi: item tigres, admodum ſæuæ, licet Americanis magis ſint infeſtæ, quam Hiſpanis: ſunt ibidem & vrſi licet pauci, Iaualies & vulpes pene innumeræ. Si hæc animalia quæſiueris in Inſulis, Cuba, Hiſpaniola, Iamaica, aut Margarita, Dominicaue, fruſtra fueris. Accedit quod ne qui-

Digitized by Google

dem iſtæ Inſulæ licet amplæ & fertiles, ante Hiſpanorum aduentum habuerint etiam alia animalia grandia, quæ vſui ſeruiunt: & iam poſſident innumerabiles equos, tauros, vaccas, canes, porcos: & tam exceſſiuo numero, vt vaccæ hodie dominos non habeant, quia in immenſum multiplicantur: Hiſpani tantum coriis eorum commercia exercent, carnium nulla cura. Canes quoque ita multiplicati ſunt, vt turmatim vagentur, atque ita feroces ſunt facti & ſæui, vt pecori maximam cladem inferant, haud minus quam alibi lupi. Non ſolum autem carent feris, ſed & multis auibus. Habent quidem multos Pſittacos & alias quaſdam auiculas quæ longe volant, verùm paucas. Perdices non memini ibi vidiſſe aut audiuiſſe ibi reperiri, cum ſint in Peruuia: multo minus Peruuiæ familiaria animalia, Guanacos & vicunnas, caprearum genus celerrimum; aut oues illas Indicas, quibus in Peruuia pro iumentis vtuntur: Cum horum omnium in Continente maxima ſit copia.

34. Fateor, quendam ſociorum noſtrorum aſſerere ſe in inſula quadam vidiſſe tigres: verum cum quærerem quantum iſta diſtaret à Continente, reſpondit ſex aut octo ad ſummum leucas: ita vt non ſit dubium tranare potuiſſe.

35. Ex quibus indiciis colligi poteſt,

Digitized by Google

incolas in Americam tranſiiſſe potius terra quam mari, aut ſi vlla nauigatio interceſſit, non fuiſſe longam aut difficilem, cum reuera vnus orbis alteri continuus ſit aut ſaltem aliqua parte vicinus.

ANNOTATIO.

HÆc ergo P. Ioſephi Acoſtæ ſententia, quam & maxime probabilem puto, nam cæteræ viæ per mare minus ſufficientes videntur ad tantam Continentem & Inſulas implendum. Refutat deinceps cap. 22. eorum opinionem qui volebant incolas in Americam tranſiſſe, per inſulam illam Atlanticam, de qua Plato in Timæo. Locus Platonis ita ſe habet.

Scripta enim illa narrant, quantas olim vires veſtra ciuitas compeſcuerit, eorum hominum qui è mari Atlantico erumpentes, vno impetu vaſtitatem in vniuerſam Europam & Aſiam importabant. Peruuium enim tunc erat Atlanticum mare. Inſulam autem in ora maris adituque ad eas anguſtias, quas vos Herculis columnas vocatis, extitiſſe. Illam vero inſulam Libya & Aſia maiorem atque ampliorem, è qua ad alias inſulas facilis eſſet traiectus: ex inſulis vero illis ad eam quoque continentem, quæ è regione ſita eſt, & in illo quidem mari, quod proprio & peculiari nomine Pontus nuncupatur: nam ad eum locũ, intra

maris illius anguſtias, apparet portus arcto quodam & tenui aditu: ea vero terra quæ mare illud quod proprie Πέλαγος *vocatur, cingit ambitque, vere Continens appellatur.*

Poſteriora hæc in Græcis ita ſe habent, Ἡ δὲ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων ἐξ ἧς ἐπιβατὸν ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους τοῖς τότ' ἐγίγνετο πορευομένοις. ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον, τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον. τάδε μὲν γὰρ ὅσα ἐντὸς τοῦ στόματος οὗ λέγομεν, φαίνεται λιμὴν στενόν τινα εἴσπλουν ἔχων: ἐκεῖνο δὲ πέλαγος ὄντως, ἥ τε περιέχουσα αὐτὸ γῆ παντελῶς ἀληθῶς, ὀρθότατ' ἂν λέγοιτο ἤπειρος. Senſus eſt mare illud quod extra anguſtias illas ad columnas Herculis eſt vere Pontum & Pelagus eſſe, quum illud quod intra eſt potius portus anguſto aditu videri poſſit; & vere Continentem dici vniuerſam illam terram quæ vndequaque Pontum illum verum ambit. Ex quo apparet antiquitus creditum, Pontum illum verum, quem hodie Oceanum dicimus, vndique à terra ambiri, quæ vere Continens dici debeat. Quod conuenit cum ſententia Acoſtæ. Deinde videri ex his Antiquos aliquam ſaltem cognitionem habuiſſe illius continentis quę eſt vltra Oceanum è directo Europæ atque Africæ oppoſita. Commemorat deinde bella quæ Athenienſium maiores cum inſulanis Atlanticæ & aliarum inſula-

rum regibus geſſerant. Et adiungit denique. Poſt autem quum terræ motuum & diluuiorum intemperies extitiſſet, vnius noctis & diei ſpatio, omne illud bellicoſorum hominum genus in terram abſorptum fuit, illaque etiam Atlantica inſula maris fluctibus plane obuoluta omnino diſparuit. Vnde & illud mare traiectu difficile eſt, quum lutum adhuc copioſum ex Inſulæ illius reliquiis remanſerit. Dixerat ante: τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος. nunc dicit; ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε. Animaduertendum autem Critiam hæc referre à Solone accepta, narrata autem ab Ægyptio Sacerdote, facta denique ante diluuium illud quod Athenienſes tempore Deucalionis & Pyrrhę factum meminerant. Dicit ergo Ægyptius ille aliam fuiſſe orbis faciem ante diluuium, quam ſit hodie. Nihil itaque hæc narratio, licet vera eſſet, nos adiuuaret, qui hominum propagationem poſt diluuium quærimus. Quomodo autem Acoſta opinionem illam refellat, apud ipſum requiratur.

Refellit deinceps illorum opinionem, qui è loco Eſdræ libri quarti capite 13. colligebant Americanos originem traxiſſe à Iudæis. cap. 23. Argumenta eius in contrarium ſunt hæc:

1. Hebræi vſi ſunt literis, inter Americanos nullum earum veſtigium apparet.

2. Hebræi erant cupidi nummorum, Americani illos contemnunt.

3. Iudæi ſi non circumciderentur, non habebant ſe pro Iudæis: Americani ſe non circumcidunt, nec hanc cærimoniam vnquam vſurparunt; vti multi in Æthiopia atque Oriente.

4. Iudæi ſemper ſtudioſè conſeruarunt linguam & antiquitates ſuas; in tantum vt hodieque in omnibus partibus, quibus viuunt, ab aliis omnibus differant: quomodo fieri poſſet vt in ſola America, obliti fuerint generis ſui, legis, cæremoniarum, Meſſiæ & totius Iudaiſmi?

Proſequitur idem de. cap. 24. Quare tam difficile ſit primam Americanorum originem probare. Verum, inquit, facilius eſt refellere quæ falſo traduntur de origine Americanorum, quam determinare veritatem. Quia inter illos non reperiuntur ſcripta, aut certa monumenta primorum fundatorum. Et in libris eorum quibus literæ fuerunt, nullum veſtigium noui orbis apparet, ſiquidem antiquioribus multis neque homines, neque terra, ne quidem cælum videbatur, niſi quod erat in hiſce partibus: pro temerario itaque habendus, qui audeat promittere ſe veram originem Americanorum traditurum. Interea ſuperficialiter & per coniecturam poſſumus colligere ex iis quæ dicta ſunt, genus hominum paulatim commigraſſe, do-

nec peruenerit ad nouum orbem, adiuuante continuitate aut vicinitate terrarum: & aliquando nauigatione; & hunc ordinem procedendi fuiſſe; non autem claſſe ex inſtituto parata, neque magno naufragio. Quanquam & horum aliquid ex parte eſſe potuerit: nã quum regiones iſtæ ampliſſimæ ſint & innumeræ in illis nationes; credibile eſt vnos hoc, alios alio modo in illas terras veniſſe. In eo tamen potiſſimum acquieſco, continuitate aut vicinitate omnium terrarum factum eſſe vt America incolas acciperet. Perſuadeo autem mihi, non eſſe multa millia annorum, ex quo America habitari cœpit, & eos qui primi illam ſunt ingreſſi, fuiſſe potius homines ſilueſtres & venatores, quam è Republica & politos. Et quod intrarint in nouum illum orbem, quia à patria ſua aberrauerant, aut quia anguſtias patiebantur & cogebantur nouas ſedes quærere: quibus inuentis ſenſim illas terras colere cœperint, non habentes legem præter paululum lucis naturalis, idque multum obſcuratæ; & forte aliquas conſuetudines patrias reliquas.

ANNOTATIO.

SI recte mentem Acoſtæ capio, vult haud ſupra mille aut ad ſummum duo millia annorum Americam habitari cœpiſſe. A di-

luuio vniuerſali non ſunt niſi 3935 anni. In continente autem Americæ & in Inſulis illi adiacentibus innumeræ pene repertæ fuerunt hominum Myriades. Et licet Hiſpanorum ſæuitia plurimas Myriades deleuerit, (de quo videndus Bartholomæus de las Caſas) tamen pleræque Continentis partes adhuc incolis ſunt frequentiſſimæ. Quare magis perſuadeor ſtatim poſt diſperſionem poſterorum Noachi etiam in hanc orbis partem incolas veniſſe: adductus inter cætera mirandis illis & vaſtis ædificiorum molibus, de quibus authores Hiſpani in Mexicana; ſed potiſſimum in Peruuia faciunt fidem.

Quanquam, inquit Acoſta, non ſit incredibile, licet veniſſent è terris politicis & bene gubernatis, oblitos fuiſſe omnium tam longo tempore & exiguo vſu: ſi quidem notum eſt, etiam in Hiſpania & Italia reperiri greges quibus præter geſtum & figuram nihil humani eſt reliquum. Ita vt per illum modum infinita barbaries in nouo mundo obtinuerit cap. 25. Intelligere ea quæ ipſi Americani de ſuis principiis & origine ſolent narrare, non eſt magni momenti, ſiquidem magis ſomnia videntur, quam hiſtoriæ. Communiter viget inter illos grandis notitia & plurimus ſermo de diluuio; verum non bene determinari poteſt, vtrum diluuium de quo loquuntur ſit vni-

uerſale cuius ſancta Scriptura meminit, an aliquod aliud particulare diluuium ſeu inũdatio illarum regionum in quibus ipſi habitabant: præſertim quum quidam viri experientia ſingulari dicant, ibidem clara ſigna videri alicuius magnæ inundationis. Magis accedo ad illorum ſententiam, qui putant veſtigia & ſigna diluuii, non eſſe eius quod tempore Noachi accidit, ſed alicuius particularis, quale id quod prodit Plato, aut Deucalionis de quo Poetæ.

ANNOTATIO.

NOn video cur Americani non potuerint habere aliquam obſcuram memoriam diluuii vniuerſalis: nam ſi viris doctis credimus, quæcunque Poëtæ & alii Scriptores Græci de diluuio Deucalionis ſcripſerunt, ea quoque ex obſcura notitia illius vniuerſalis manarunt, quam ipſi ſuis fabulis inquinarunt. Quanquam haud ignorem etiam grandes inundationes in variis partibus poſtea fuiſſe.

Quomodocunque ſe res habeat, inquit Acoſta, dicunt Americani, illo ſuo diluuio omnes homines fuiſſe deletos, narrantque è grandi lacu Titicaca prodiiſſe Viracochã, qui ſedem fixerit in Tiaguanaco, vbi adhuc viſuntur ruinæ & rudera antiquorum & mirabilium ædificiorum, atque inde tranſiiſſe ad oppidum Cuſco, & ita genus humanum

denuo cœpiſſe multiplicari. Oſtendunt in eodem lacu paruam inſulam, in qua Sol ſe abſcondit & ſeruauit, & propterea antiquitus ipſi ibidem immolabant non modo oues, ſed & homines. Alii narrant è quadam ſpecu per feneſtram exſiliiſſe ſex aut neſcio quot, homines, eoſque initium dediſſe generi humano, in loco qui ob eam cauſam ipſis *Pacari Tampo* dicitur. Atque ideo opinantur *Tambos* antiquiſſimos hominum eſſe. Hinc aiunt ortum *Mangocapam*, quem authorem & caput Ingarum agnoſcunt; & ab eo duas familias ortas. vnam Hanan Cuzco, alteram Vrincuzco, Referunt reges Ingas, quum bellum inferrent & plures prouincias ſubiugarent, hanc rationem attuliſſe, omnes gentes illis obſequium debere, quia ex ſuo genere & patria totus mundus erat reſtitutus. Et quod ipſis reuelata erat è cœlo vera religio & cultus. Et quid opus plura addere, ſiquidem omnia ſcatent mendacio & carent ratione?

Annotatio.

Qvanquam hæc fabulis anilibus ſint inquinata, oſtendunt tamen illos obſcuram quandam diluuii cognitionem habuiſſe; & ne Græci quidem melius de diluuio ſunt commenti. Nam qui ſex aut plures è quadam ſpecu prodiiſſe aſſerunt,

Digitized by Google

haud longe abeunt ab hiſtoria, niſi quod malè applicant ad ſuas terras. Idem & à Græcis factum: quare multi credunt Deucalionis diluuium Græciæ peculiare fuiſſe: in quo eos falli credo.

Homines docti, inquit Acoſta, affirmant & ſcribunt, omnia monumenta & relationes Americanorum, non aſcendere ſupra quadringentos annos, ſuperiora eſſe meras tenebras, è quibus nihil certi poteſt erui. Neque mirum hoc videri poteſt: nam cùm deſtituantur libris & Scriptura, cuius locò habent ſibi familiares Quipocamayos, multum & difficile eſt, quod quadringentorum annorum rationem poſſunt reddere. Quum diligenter inquirerem in ipſorum originem, & ex ipſis quærerem, è quibus terris & à qua gente, in illam regionem veniſſent, in qua agunt, tantum abfuit vt mihi rationem redderent, vt plane profiterentur, ſe in illo nouo orbe creatos; quod aliter ipſis perſuaſi ex noſtra fide, quæ docet omnes homines ab vno deſcendere. Coniecturæ ſunt admodum claræ, illos diu vixiſſe ſine Regibus aut Republica iuncta, ſed egiſſe per vicos vt hodie Floridani, & Chiriguanæ & Braſilienſes, aliæque multæ nationes, quæ non parent Regibus, ſed occaſione aliqua pacis aut belli, eligunt ſibi duces. Verum ſucceſſu temporis aliqui qui aut viribus, aut induſtria cæteros anteibant,

cœperunt dominari & imperare, vt antiquitus Nembroth: & ſenſim augmentum accipientes, fundarunt regna Peru & Mexico, quæ noſtri Hiſpani inuenerunt: vtrique autem Peruani & Mexicani licet & ipſi barbari eſſent, præcellebant tamen multum cæteris nationibus.

Sententia Marci Lescarboti *in Hiſtoria Nouæ Franciæ lib.* I. *c.* III.

SCio multos poſtquam terræ noui orbis, quas appellamus Indiam Occidentalem, eſſent inuentæ exercuiſſe ſe in inquirendo, per quas vias, hæ terræ incolas poſt diluuium acceperint; quod eo difficilius eſt, quia ab vno polo ad alterum orbis iſte disiunctus eſt à noſtro, patentiſſimo mari, ita vt non videantur homines aut potuiſſe aut auſi fuiſſe illud tranſire ante poſteriora hæc ſæcula: ſaltem non extat vlla eius rei mentio in libris & monumentis quæ antiquitas nobis reliquit.

Prima Opinio.

QVidam vſi ſunt quibuſdam prophetiis & reuelationibus è Sacra Scriptura arreptis vt docerent, quidam Hiſpanos, alii Iudæos ad incolendum hunc nouum orbem veniſſe.

ANNOTATIO.

CItat primò locum Abdiæ, qui in Vet. Tranſlat. ita ſe habet: *Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël omnia loca Chananæorum, vſque ad Sareptam & tranſmigratio Ieruſalem quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri.* Annotant autem Sareptam poſitum pro Zarphat; & eſſe Galliam. Et Boſphorum pro Sepharad, id eſt Hiſpania. Ioſephus de Acoſta lib. 1. c. 15. Non deſunt, inquit, qui affirment, ante in diuinis literis eſſe prædictum nouum orbem conuerſum iri ad Chriſtum, idque per Hiſpanos: & citant ad hoc propoſitum prophetiã Abdiæ ſub finem: Et tranſmigratio, &c. Et citat in hunc finem, Guid. Boderianum ex epiſtol. ad Philippum Catholicum Reg. in Quinto Tom. Sac. Bibl. & Zumarragam in Hiſpan. Hiſtor. Guido autem Fabritius hoc tantum dicit: Ex vniuerſi orbis terrarum nationibus duas tantummodo gentes diuinus Spiritus in Abdię vaticinio commemorauit, quibus potiſſimum vteretur ad exteras quaſque nationes Auſtri in ordinem ſub ſe redigendas, Gallicam ſcilicet & Hiſpanicam, vt ex ſequentibus Abdiæ verbis conſtat: Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël, qui Cananæi ſunt (hoc eſt, humiliati & mercimoniis addicti) vſque in

TZARPHATH Galliam & tranſmigratiō Ieruſalem, quæ eſt in SEPHARAD, Hiſpania, poſſidebunt ciuitates Auſtri. Zamarragam videre non licuit: ſed Boderianus nihil de Gentium Americanarum conuerſione: quare & Acoſta recte authoritatem huius teſtimonij rejicit: quamquam concedat haud dubio in S. Scriptura prædictiones reperiri de toto orbe nouo etiam conuertendo ad Chriſtum. Videat totum caput qui volet. De locis è IV. Eſdræ iam ſupra dictum à Clariſſ. Grotio. Sed D. Leſcarbotus hîc male confundit conuerſionem Americanorum cum prima eorumdem origine. Supra autem iam oſtendimus non eſſe vero abſimile ex Hiſpania iam ante multa ſæcula & antequam Chriſti fidem fuiſſent amplexi, incolas in Americam veniſſe.

SECVNDA OPINIO.

ALij, inquit Leſcarbotus, opinati ſunt progeniem eſſe Chami eò deductam per Dei punitionem, quum Ioſua inciperet intrare in terram Chanaan & poſſeſſionem illius capere; S. Scriptura teſtante, incolas eius ita fuiſſe attonitos vt animo deficerēt: & ita potuit fieri vt maiores Americanorum, ab Iſraëlitis fugati aſcenderint naues, & à tempeſtatibus acti eiecti fuerint in Americam. Quod confirmari videtur ab eo quid

ſcriptum eſt in lib. Sapientiæ qui dicitur Salomonis, nimirum Chananæos ante aduentum Iſraëlitarum in ipſorum prouincias, fuiſſe Anthropophagos, quemadmodum plurimi ſunt in America.

ANNOTATIO.

CItat Sapient. c. 12. v. 4. & 5. vbi dicitur; & liberorum occiſores immiſericordes & viſcera comedentes humanarum carnium. De immolatione quidem liberorum meminit Dei verbum, nuſquam autem de eſu carnium aut viſcerum humanorum. Sed quomodo Chananæi, vt ſe maxime mari commiſiſſent, potuerunt expelli in Americam? totum mare mediterraneum enauigandum erat, & anguſtiæ inter columnas Herculis ſuperandæ, & tum denique Oceanus penetrandus. Id vero nullam habet veriſimilitudinem. Si ad oram Atlantici Oceani habitaſſent, aliquid fidei mereretur hæc coniectura. Nec opus eſt Anthropophagos è Canança accerſere, etiam in Æthiopia produntur à Plinio lib. 6. c. 30. item in Scythia lib. 4. c. 12. & in eadem vſque ad promontorium Tabin lib. 6. c. 17. & alibi in eadem lib. 6. c. 2. Facilius autem terreſtri itinere è Scythia Anthropophagos in Americam introduxeris; vt hoc etiam non leue indicium ſit è Scythia incolas in Americam tranſiuiſ-

Digitized by Google

ſe, licet iam longius ab origine reperiantur; quod minime mirum ſi tranſmigrationes gentium temporum ſucceſſu factas animaduertamus.

Et vt illos, inquit Leſcarbotus, adhuc porro iuuem, adiungo multos Americanorum ſaltare ſuper ignes, quum dæmones ſuos inuocant, quemadmodum & Chananæi faciebant.

Annotatio.

SEd ſunt rationes magis probabiles quam hæc; inter quas, non videntur à veritate aberrare, qui dicunt, quoſdam nautas, mercatoreſque peregrinantes, tempeſtate aliqua ventorum correptos in mari, cui non poterant reſiſtere fuiſſe abreptos ad has terras atque ibidem naufragium feciſſe; & cum penitus nudi eſſent & omnium rerum egeni, coacti fuerunt venatu & piſcatura vitam tolerare, & ſe amicire pellibus ferarum captarum: qui aliquo modo repleuerint illas terras (nam fere tantum ora maritima & ripe fluminum habitantur, ſaltem in illis partibus quæ Galliæ ex aduerſo reſpondent) & licet ante habuiſſent aliquam Dei cognitionem, ea ſenſim euanuit, inſtitutorum inopia, quemadmodum & in multis partibus noſtri orbis poſt diluuium factum videmus. Et plurima eiuſmodi caſu facta

tam

tam ab Oriente, quam Meridie atque Arcto, & intermediis regionibus, potuerunt parti illi occidentali incolas dare. Quæ res non eſt ſine exemplo, etiam familiari & domeſtico. Nam anno 1598. Marchio de la Roche Brito Armoricus, quum in animum induxiſſet colonias in Nouam Franciam deducere, permiſſu Regis, duxit numerum hominum ſecum, quos (quia ignorabat adhuc regionum ſitum) expoſuit in Inſulam *de Sable*, quæ ſita eſt XX leuc. à promontorio Britonum verſus Africum: ad latitudinem XLIV graduum. Ipſe autem profectus eſt ad inſpiciendum vicinas terras & gentium mores & aliquem opportunum portum inueſtigandum. Inde reuertens vento aduerſo ita fuit abreptus vt in Galliam redire cogeretur: Captuſque à Duce de Mercure ſuos per quinquennium deſtituit, qui toto eo tempore piſcibus vitam tolerarunt & lacte quarumdem vaccarum quæ illò ductæ fuerant tempore Franciſci I. Regis, à Barone *de Leri*, &c. qui Vir magni animi eò colonias deducere tentauerat: ſed quum nimis diu in mari oberraſſet, coactus fuit vaccas, porcos ibidem exponere. Rex demum præcepit ſuis qui piſcatum exibant ad Terram nouam, relictos illos à Marchione reducere; qui circiter duodecim è numero quadraginta aut quinquaginta ſuperſtites reduxerunt in Galliam veſtitos pellibus

luporum marinorum. En quo pacto barbaræ illæ gentes potuerint propagari & multiplicari. Nam ſi illi ibidem fuiſſent relicti cum fœminis, ipſi aut ipſorum poſteri ſenſim ſimiles facti fuiſſent populis Nouæ Franciæ & cognitionem Dei amiſiſſent. Et poſſem hoc loco exclamare cum Apoſtolo; *O profundas diuitias ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius! quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Si quis objiciat contra ea quæ iam dixi, id non potuiſſe fieri, quia inuſitatum eſt fœminas ſecum ducere in nauigationes. Reſpondebo, id quidem hodie dici poſſe, ſed ſuperioribus ſeculis rem aliter ſe habuiſſe quibus fœminæ erant fortiores, & audaciæ maſculæ: quum hodie deliciæ vtrumque ſexum degenerem fecerint. Et tamen adhuc videmus fœminas ſequi maritos ſuos in mari. Et vna ſuffecerit ad mundum implendum, quemadmodum videmus ab vna prima matre totum genus humanum fluxiſſe.

Verum, vt redeam ad inſtitutum, habeo aliud argumentum, quo doceri poteſt, eas gentes caſu ad illas terras veniſſe, vt diximus, & ortas eſſe ab aliqua gente, quæ inſtructa fuerit è lege diuina. Id eſt, cum Poutrincourtius quodam tempore ſermones ſereret cum Capitaneo barbarorum, cui no-

Digitized by Google

men erat *Choudun*, de noſtra fide & religione. reſpondit ille de diluuio, ſe iam à multo tempore audiuiſſe, antiquitus vixiſſe homines ſceleratos, qui omnes exciſi fuerint, & meliores in illorum ſucceſſiſſe locum. Et opinio de diluuio non tantum reperitur in NouaFrancia, in qua nos viximus, ſed etiam inter Peruuiæ incolas, qui (vt narrat Ioſephus de Acoſta(loquuntur de diluuio, quod acciderit in ſuis regionibus, quod omnes homines deleuerit, & è grandi lacu Titicaca prodiiſſe Viracocham (qui eſt maximus inter illos Deus, quemque adorant cœlum ſuſpicientes, vt creatorem omnium rerum) & Viracocha iſte ſubſtitit Tiaguenaci, vbi adhuc hodie viſuntur ruinæ & reliquiæ antiquorum & admirandorum ædificiorum. Inde adiit Cuſcum. Ad hunc modum genus humanum denuo cœpit multiplicari.

ANNOTATIO.

DE hac opinione diximus ad ſententiam Acoſtæ. Non autem apud hos ſolum barbaros, qui hîc nominantur, ſed apud plures alios inuenta fuit, qualiſcumque memoria diluuij vniuerſalis, ſed ſecundum ipſorum ingenium tot fabulis inquinata, vt ſomnium videri poſſet.

Digitized by Google

QVARTA OPINIO.

NOlo tamen negare etiam alia via incolis impletam fuiſſe Americam, nimirum homines multiplicantes ſuper terram & continue ſe extendentes, vt hic factum videmus, probabile eſt tandem has maximas regiones attigiſſe, ſiuę per Orientem, ſiue per Septentriones, ſiue per vtrumque. Credo enim omnes partes continentis concatenatas eſſe aut ſaltem, ſi interſit aliquod fretum, vt illud de Anian aut Magellanicum; illud homines facile potuiſſe tranſire. Sed potiſſimum nos ſuſpendit tranſitus animalium. Sed dici poteſt facillimum fuiſſe traducere minora, maiora autem per ſe poſſunt freta tranſnare: quemadmodum veriſimile eſt Alces ex Europa Septentrionali tranaſſe ad Labrador, ad Canadam & prouinciam Souriquoſiorum per Arctoam plagam; ſcimus enim illas non vereri tranare ſinus maris, vt compendium itineris faciant. Et legimus in prima nauigatione Iacobi Quarterij Vrſos facillime tranare quatuordecim leucarum mare: cum viderit vnum tranare mare quod eſt inter continentem & inſulam Auium.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

HÆc opinio mihi maximè probatur, licet neque ſuperiorem omnino rejiciendam putem. Et attuli ante rationes quæ perſuadent ad hanc viam potiſſimum inſiſtendam.

QVINTA OPINIO.

VErum quum intelligam barbaros illos per traditionem à maioribus accepiſſe obſcuram aliquam notitiam diluuij, venit in mentem alia coniectura, quæ ab aliis nondũ fuit propoſita. Nam quid impedit credere Noachum, quum annos trecentos quinquaginta vixerit poſt diluuium, ſolicitum fuiſſe & operam dediſſe vt regiones illæ incolas acciperent vel potius reciperent? Eſtne credibile illum tam longo tempore nihil magni & memorabilis ſuſcepiſſe? Qui tantus erat architectus & nauita, ignorabat autem fabricandi aliud nauigiũ (nam ipſius conſtiterat in montibus Ararat, id eſt in magna Armenia) vt terrę deſolationi ſuccurreret? Qui habuit cognitionem mille rerum quæ nos ignoramus per traducem ſcientiarum à primo noſtro parẽte, cuius filios videre potuit, ignorabatne terras illas Occidẽtales, in quibus forte natus erat? Certè omnino præſumendum eſt eum qui habuit Dei Spiritum,

& qui per electionem cœleſtem reſtabilire debebat genus humanum, habuiſſe etiam notitiam, (ſaltem ex fama) harũ regionum; ad quas haud difficilius illi fuit nauigare, quam Italiæ incolas dare & venire ab extremo limite maris Mediterranei ad Tiberim & conſtruere ſuum Ianiculum, ſi prophanæ hiſtorię verum dicunt,& mille rationes ſuadent illis credere. In quacumque enim orbis parte erat inter ſuos liberos. Non fuit illi, inquam, difficilius à freto Gaditano nauigare in Nouam Franciam, aut à Promontorio Viridi in Braſiliam, quam filiis illius adire Iauam aut Iapan nomen dare: aut Regi Salomoni nauigationes trium annorum inſtituere: quippe inter eruditiſſimos noſtri ſeculi ſunt & inter eos Franciſcus Vatablus qui iudicent illius claſſem fuiſſe in Peruuia, vnde tantam auri copiam deduxit & quidem perfectiſſimum. Quod ſi (re ita præſuppoſita) Indi occidentales non conſeruarant ſacrum depoſitum cognitionis Dei,& inſtituta pulchra quæ illis potuit relinquere, aduertendum ne noſtri quidem orbis incolas melius feciſſe. In ſumma hæc coniectura nititur tam bonis, imo melioribus rationibus quã præcedentes. Plato cum huius rei leuis fama ad ipſum perueniſſet, de ea diſſeruit ad ſuorum modum, commemorans grandem illam Inſulam Atlantida, quam non videbat, aut vllum qui ex illa venerat ſuo tempore, gran-

Digitized by Google

di diluuio mari fuiſſe hauſtam in ſuo Timæo. Et poſt ipſum Ælianus in tertio lib. Hiſtor. diuerſarum narrat rem pene ſimilem, licet ipſe fabulam putet: *nimirum, ſecundum Theopompum, grandem familiaritatem quondam fuiſſe inter Midam Phryga & Silenum. Hic Silenus erat filius cuiuſdam Nymphæ. Poſtquam multa inter ſe diſſeruiſſent, adiecit Silenus, Europam, Aſiam & Lybiam eſſe Inſulas Oceano circumfuſas, ſed eſſe Continentem quandam extra hunc orbem infinitæ magnitudinis quæ nutriat grandia animalia, & homines duplo maiores & longæuiores quam noſtri ſint: ibidem eſſe magnas ciuitates, diuerſa vitæ inſtituta, & leges noſtris contrarias. Adiecit hanc terram poſſidere grandem vim auri & argenti, ita vt inter illos populos minoris pretij ſit quam apud nos ferrum, &c.* Qui hæc attentè conſiderauerit, deprehendet non eſſe penitus fabuloſa; & concludet primis ſeculis homines habuiſſe notitiam Americæ, & aliarum terrarum & continentium, & prolixitate nauigationis deterritos eo proficiſci, hanc notitiam euanuiſſe & non niſi obſcuram famam remanſiſſe. Nam Plinius ipſe (lib. 2. cap. 16.) queritur ſuo tempore homines fuiſſe eneruatos, & nauigationem vſque adeo refriguiſſe, vt non amplius periti nauigandi reperirentur, ita vt oræ terrarum melius cognoſcerentur è ſcriptis eorũ qui numquam

illas viderant, quam è dictis eorum qui illas habitabant. Non amplius, inquit, curæ eſt quærere nouas terras, neque conſeruare notitiam earum quæ iam ſunt inuentæ, licet pace tam feſta, & mari tam aperto & aperiente portus ſuos quibuſuis. Ita Inſulæ fortunatæ (quæ ſunt Canariæ) quum proximis diluuio ſeculis notiſſimæ fuiſſent & frequentatæ, iſta notitia periit hominum negligentia, donec nobilis Picardus Vvilhelmus Betancourtius illas denuo detegeret ſupereriori ſeculo, vt poſtea dicemus. Poſtremum argumentum ſit eius quod dixi per probabilem coniecturam, ſuperioribus ſeculis notas fuiſſe terras Occidentales vltra Oceanum, quod veteres Poëtæ cecinerunt de Heſperidibus, quas collocant ad occaſum Solis, id meliori iure accipi poſſe de India Occidentali quam de Canariis aut Gorgonum inſulis. Nam idem Plinius (l.6.c.31.) recitat, in re valde obſcura, Statium Seboſum quadraginta diebus ab inſulis Gorgonum (quæ ſunt Promontorij viridis) nauigaſſe ad Heſperides. Non autem opus eſt quadraginta diebus, ſed tantum ſeptem aut octo, ad nauigandum à Gorgonum Inſulis ad Fortunatas (vbi quidam locant Heſperides (cum tantum ducentæ leucæ interſint. Quare concludo Heſperides haud alias eſſe quam Cubam, Hiſpaniolam & vicinas alias in Freto Mexicano. Quod at-

tinet ad draconem, qui dicebatur cuſtodire aurea poma Heſperidum & nemini aditum patere, veteres voluerunt ſignificare freta quæ ſerpẽtino gyro inſulas illas interluunt, plures naues perdidiſſe, ita vt deſitum ſit ea nauigare. Herculem ibi fuiſſe, haud alienum fuerit ab eius virtute.

ANNOTATIO.

HÆc opinio quæ Leſcarboto tantopere placuit, valde paradoxa eſt, nititurque rationibus admodum debilibus; neque operæpretium puto quæ de Noacho hîc dicuntur operosè refellere. Cum Mida familiaritatem contrahat neceſſe eſt, qui illis fruſtra credat. De Canariis, Gorgonum inſulis & Heſperidibus iam ſupra diximus ad locum Plinii. Sed hoc addendum Plinium illo loco manifeſte diſtinguere inter Inſulas Gorgonum & Heſperidas, itemque inter vtraſque has & Fortunatas. Debuiſſet autem animaduertere Leſcarbotus, Seboſum prodidiſſe tantum vnius diei iter ab Heſperidum inſulis ad Heſperion Ceras: quod de inſulis illis Americanis neutiquam intelligi poteſt: ſed de promontorio Africæ & Inſulis Africæ ſeu Mauritaniæ obiacentibus. Quemadmodum & illud aduertere oportuit, quod dicit, Seboſum à Gorgonum inſulis prænauigatione Atlantis dierum II. ad

Heſperidum inſulas curſum prodidiſſe : ſi autem curſum intendas ab inſulis Gorgonum ad Hiſpaniolam aut Cubam, non Atlas prænauigandus, ſed immenſo interuallo poſt tergum relinquendus fuerit. Hîc mera eſt Hydrographiæ ignorantia. Neque Plinius plures Heſperidum inſulas tradit quam duas. Sed mittamus hæc.

Sententia Edvvardi Brerevvoodi *Angli in diſquiſitione Linguarum & Religionum.*

EDuvvardus Brerevvoodus Anglus inquirens in diuerſitatem linguarum & Religionum, cap. 13. agens de Iudaiſmo, cum enumeraſſet regiones in quas diſperſus reperitur, ita pergit. Verum, præter has & alias diſperſiones nationis Iudaicæ, quæ alibi in Orbe eſſe poſſunt, eſt & quædam phantaſia doctorum hominum, haud indigna animaduerſione; Tartaros Scythiæ, qui circa annum 1200 aut paulo ante, primum eo nomine innotuerunt, & hodieque magnam partem Aſiæ imperio complectuntur, Iſraelitarum eſſe progeniem; videlicet decem illarum Tribuum, quæ à Salmanazare & illius prædeceſſoribus captiuæ abductæ fuerunt in Aſſyriam (citat Poſtell. Deſcript. Syriæ c. 1. Genebrard. Chron.

lib. 1. Boterum Relat. part. 1. lib. 2. cap. vltima patte de la Tartar. & part. 3. lib. 2. c. de Guidei.) Quæ cum ſit, vti dixi, non niſi vana phantaſia, nihilominus placuit quibuſdam doctis & induſtriis viris: ratio autem & authoritas producuntur ad confirmandum. Nam primo allegatur vocem Tatari aut Totari (nam ita reuera appellantur, vt viri Eruditi obſeruant, & non Tartari, Leunclau. in Pandect. Hiſtor. Turcic.) ſignificat in Syriaca & Hebraica lingua Reliquum aut reliquias, quales Tartari præſupponuntur eſſe è decem Tribubus. Secundo, quia (vt patroni huius commenti dicunt) ſemper circumciſionem (antiquum characterem Iudaiſmi) ſunt amplexi. Et tertio, authoritas Eſdræ (è quo fonte exiſtimo hanc opinionem emanaſſe) allegatur, 4. Eſd. cap. 13. verſ. 40. & ſeq. *Hæ ſunt decem tribus captiuæ abductæ è terra ſua diebus Hoſcheha Regis, quem captiuum abduxit Salmanaſar Rex Aſſyriorum: quæ deportatæ cis flumen poſtea tranſlatæ ſunt in terram aliam. Ipſi autem ceperunt hoc conſilium, vt derelinquerent multitudinem gentium, profecti in vlteriorem regionem vbi numquam humanum genus habitauit, & ibi obſeruarent legitima ſtatuta ſua, quæ non obſeruauerant in regione ſua. Per introitus autem fluminis Euphratis anguſtos introierunt (fecit enim eis tunc Altiſſimus ſigna, ſiſtens venas fluminis*

Digitized by Google

vſque dum tranſiuiſſent.) Et in eam regionem peruenturis fuit via magna iter anni vnius & dimidii: regio autem illa vocatur Harſcareth.

Sed ad primum poſſum reſpondere, Tartaros id nomen obtinuiſſe neque ab Hebraico neque à Syriaco etymo, ſed à fluuio Tartar, inquit Leunclau. in Pandect. Hiſtor. Turcic. §. Boem. de morib. gent. lib. 2. cap. 10. Haitt. lib. de Tartaris cap. 16. Aut etiam à regione, vt ait Haito, in qua præcipui eorum antiquitus habitarunt. Secundo nomen תותר aut תאתר in Hebr. aut Syr. ſignificans reſiduum aut reliquias, non niſi male (vti videtur) applicari poteſt Tartaris in relatione ad Iſraelitas, quos multitudine ſupra modum ſuperant, ſiquidem occupant mediam partem vaſtæ Continentis Aſiæ, aut circiter. Nam nationes omnes à magnis fluminibus *Vvolga* & *Obii*, ad ortum & à Caſpio mari ad fluuium Oxion, regiones Indiæ & Chinæ verſus Septemtriones ſub nomine Tartarorum comprehenduntur: & tamen etiam extra hos fines multi ſunt Tartari tam verſus Occidentem quam verſus Auſtrum. Et quid ſi innumerabiles populi & tam multæ nationes, quas ſcimus vaſtam Americæ continentem inhabitare, ſint ab eadem origine? Certe, niſi fallor, non ſunt ab alia. Nam primo originem illarum accerſendam eſſe ex Aſia liquet, quia

Digitized by Google

[illegible] qui legerint relationes & hiſtorias [illegible] Americæ regionum facile obſeruabunt nullum habent guſtum aut ſimilitudinem artium, eruditionis, aut ciuilitatis Europæorum: & illorum color teſtatur non eſſe illos ex Africanorũ progenie (non enim in tam vaſta Continente fuerunt reperti vlli Æthiopes, exceptis paucis iuxta fluuium S. Marthæ, in exigua prouincia Quarequa, qui vi tempeſtatum creduntur eo eiecti ex partib. Guineæ aut Æthiopiæ.) Quare videntur originem habere ex Aſia. Quod adhuc magis credibile apparebit, ſi obſeruetur, quod Hiſpanorum nauigationibus verum eſſe conſtat, Occidentalẽ partem Americæ quæ Aſiam reſpicit, magis frequentem eſſe incolis, quam oppoſita aut orientalis eſt quæ adſpicit Europam. Et quemadmodum ob hanc rationẽ valde veriſimile eſt, Americam primas ſuas incolas accepiſſe ab orientali limitæ Aſiæ: ita omnino improbabile eſt, illos accepiſſe ab alia parte illius limitis, præterquam è Tartaria. Quia in America non obſeruãtur vlla indidicia artium & induſtriæ aut Chinæ aut Indiæ aut Cataiæ, aut alterius ciuilis regionis, ad omnem oram Aſiæ: ſed contra in craſſa ignorantia literarum & artium, in Idololatria & ſpeciebus illius, in inciuilitate morũ, & multis barbaris proprietatibus, referunt antiquos & rudes Tartaros, ſupra omnes

nationes vniuerſi. Quam meam opinionem de origine Americanorum à Tartaris potius quam ab alia vlla natione orarum Aſiæ, præter vicinitatem Aſiæ cum America, hæc ratio ſupra alias optime poteſt confirmare: quia certum eſt, Aquilonarem partem Aſiæ poſſeſſam à Tartaris, eſſe ſi non continuam cum America, quod adhuc nonnihil dubitatur, ſaltem ſine vllo dubio, omnium minime diſcretam eſſe per mare; quia has partes Aſiæ & Americæ aut continuas, aut ſaltem diſiunctas anguſto canali Oceani eſſe, oſtendunt rapaces & damnoſæ feræ, quibus America abundat, vt Vrſi, Leones, Tigres, Lupi, &c. (quas homines, vt veriſimile eſt, ad ſuum detrimentum nunquam voluerint traducere ab vna continente in aliam.) Nam ex Noæ arca, quæ ſubſtitit in Aſia, omnes hæ feræ originem ſuam duxerint neceſſe eſt, ſiquidem ordine naturali non potuerunt naſci è putrifactione, vt animalia imperfecta. Aut ſi potuerunt originem habere à putrifactione, aut ortum habere (per nouam aliquam generationem) è terra extra ſpecialem procreationem è ſua ſpecie, non video cur neceſſe fuerit, ſpeciali Dei mandato tam ſollicitè in Arca Noæ conſeruari (vti fuerunt) tempore diluuij. Quandoquidem itaque certum eſt, feras illas Americæ, eſſe progeniem eiuſdem ſpeciei in Aſia, & homines, vt veri-

Digitized by Google

ſimile eſt, eas non traduxerunt (ad ſuum detrimentum) ab vna continente ad aliam, magnam habet veriſimilitudinem, ſi non coniungantur, valde vicinas eſſe, & exiguo interuallo diſcretas: Nam etiam ad hunc diem, Inſulæ Cuba, Iamaica, Hiſpaniola, Burichena, & cæteræ quæ tantum diſtant à Continente, vt ad illas tranſnare non poſſint, nullæ reperiuntur, vt Hiſpani affirmant. Quare, (ne longius digrediamur) apparet nationem Tartarorum tam latè ſparſam non poſſe poſteritatem eſſe captiuorum Iſraëlitarum. Neque (vt ſecundæ obiectioni reſpondeamus) ipſorum circumciſio id arguit: nam neque circumciſio apud Tartaros antiquior eſt Mahumetiſmo, ſed ſimul cum illo ab ipſis accepta fuit, vt Michouius teſtatur (de Sarmatia lib. 1. cap. 5.) ita vt ad hunc diem non ſit vſitata (quod ſciam, aut reperiam in Hiſtoriis) niſi iis qui Mahumetiſmum ſunt amplexi, ſed pertendunt in veteri ſua Idololatria, vt maximam partem faciunt, tam Tartari Cataiæ, vltra montem Imaum verſus orientalem Oceanum, quam Tartari Sarmatiæ verſus Arctum ad vtramque ripam fluminis *Obij*. Neque ſi daretur, circumciſionem ante Mahumetiſmum apud illos viguiſſe, magni momenti argumentū eſſet, ad probandam originem Iſraëliticam. Quia certum eſt cæremoniam & conſuetu-

dinem circumciſionis fuiſſe hodiéque eſſe vſitatam apud multas nationes quas nemo vnquam ſuſpicatus fuit ab Iſraëlitis deſcédere: nam Diodorus Siculus meminit Colchorum, Philo Iudæus & Strabo lib. 16. Ægyptios, Herodotus vtramque hanc nationem, & præterea Æthiopas, circumciſionem vſurpaſſe, & conſuetudinem illam inter Ægyptios & Æthiopas valde antiquã videri, quemadmodum adhuc hodie durat apud vtramque hanc nationem. Ad hæc, præter has regiones iam dictas, idem dicitur de Trogloditis à Strabone & aliis. Et de Phœnicibus & Arabibus à Cypriano lib. de Circumciſ. in principio, & Nicephoro Calliſt. lib. 8. c. 35. Atque (vt omittamus hæc humana teſtimonia) haud obſcure agnoſcitur à Propheta Ieremia cap. 9. v. 26. fuiſſe vſitatam (præter Iſraëlitas) Ægyptiis, Edomæis, Ammonitis, Moabitis, & incolis deſerti, id eſt Iſmaëlitis aut Saracenis Arabiæ.

☞ (Nam Iſmaëlitas & Saracenos eandem eſſe nationem, manifeſtum eſt ex Hieronymo in Comm. eius loci, Sozomeno & aliis qui antiquitus dicti Scenitæ) vt Ammianus obſeruauit) nimirum à Græcis ἀπὸ τῆς σκηνῶν, quia habitabant in tentoriis; nam hanc fuiſſe rationem ipſorum habitationis, non ſolum affirmatur ab Hieronymo loco iam citato, ſed & haud obſcure innuitur à

Dauide

Dauide Pſal. 120. deplorante habitationem ſuam in tentoriis קדר quo nomine Arabia deſerta indicatur ab Hebræis, à qua habitatione in deſerto ab ipſis Arabibus nominantur Saraceni (nam Sarra ſignificat deſertum & Saken inhabitare in lingua Arabica) aut ſi non à loco, ſaltem (vt viri docti credunt, Scaliger in Animaduerſ. ad Euſeb. & Fuller. Miſcell. Theolog. lib. 2. cap. 12.) ab ipſorum proprietate, quia plurimum viuebant rapinis (id enim apud Arabes notat vocabulum Saracke) quibus ſupra alias nationes ſemper fuère & adhuc ſunt addicti. Nam deductio etymi à Sara, quaſi prætenderent proſapiam ab ipſa, quum reuera ſint Hagareni (progenies Hagar, merum figmentum eſt. Neque ipſi hoc prætendunt) de quibus nationibus Hieronymus, cui hæ regiones bene cognitæ erant (& Epiphanius Panar. lib. 1. hæreſ. 30. de pleriſque) teſtatum reliquit, illas circumciſionem retinuiſſe ad ſua tempora. Licet autem de quibuſdam eorum probabiliter conjici poſſit eam accepiſſe ab Iſraëlitis, ſi non, vt ipſorum progenies (quod tamen quodam modo dici poteſt de incolis deſerti, quum ſint poſteri Iſmaëlis filij Abrahæ: & ſimiliter de Edomitis progenie Eſaui filij Iſaaci) ſaltem per imitationem familiæ Abrahæ, cum qua conſanguinitate erant coniunctæ, vti Ammonitæ & Moa-

bitæ, poſteritas Lothi,patruelis Abrahami, & qui diu eius familiaritate vſus fuerat. Quanquam, inquam, conjici poſſit ab his nationibus circumciſionem vſurpatã, imitatione Iſraëlitarum: tamen eundem ritum & conſuetudinem etiam ab iis ad totam nationem Arabum, (quæ erat populoſiſſima) aut Ægyptiorum, aut alias vicinas prouincias, dimanaſſe, non video quo pacto quis concipiat, aut ſi id credant, tamen aliter liquet, quia non circumcidebant octauo die, quæ eſt inuiolabilis conſuetudo apud Iſraëlitas: verum Ægyptij decimo quarto anno, vt Ambroſius meminit lib. 2. de Patriarch. Abrah. c. 12. Et Arabes decimo tertio vt viri docti tradiderunt: (Sard. de Ritibus gent. lib. 1. c. 10.) Quemadmodum & Turcæ, qui ritum circumciſionis ab Arabibus acceperunt, ad hunc diem circumcidunt octauo aut duodecimo, aut decimo quinto anno, citius, tardiuſve prout opportunum fuerit. Quomodo ab Iſraëlitis circumciſio ad has nationes peruenerit, videre non poſſum; non magis quam de grandi natione Anzichorum (de quibus Pigafett. Regni Cong. lib. 1. c. 5.) ad Occidentalem oram Nili præter Nubiam; aut de incolis Iucatanæ in America (de quibus Martyr dec. 4. c. 1. quorum illi adhuc ſunt, & hi) donec Hiſpanis ſubjicerentur) fuerunt meri idololatræ, nam eorum hi ha-

Digitized by Google

buerunt, illi adhuc habent circumciſionem in vſu.

Pergit deinceps & alia argumenta refutare, & oſtendit in quam multis Tartari differant ab Iſraëlitis, in idololatria, in neglectu legis, Sabbathi, promiſcuis connubiis etiam inceſtis, victu etiam immundo, & aliis. Sed quia hæc non pertinent propriè ad noſtrum inſtitutum, remittimus lectores ad ipſum Authorem. Qui & teſtimonium Eſdræ egregie refutat.

Hactenus attulimus & obiter expendimus, trium doctiſſimorum virorum ſententias, Hiſpani, Galli, Angli; quæ nationes quum & nauigationibus celebres ſint, & regiones illas perluſtrarint, aut itineraria ſuorum habeant quamplurima, optimè de hac quæſtione potuerunt iudicare. Quibus ſi & noſtræ obſeruationes adiiciantur, poterit aliquod ſi non certum tamen valde probabile iudicium fieri de gentium Americanarum Origine, quod curioſis Lectoribus relinquimus.

Digitized by Google

OBSERVATIONES

Aliquot quæ nobis hanc difficillimam quæſtionem aliquanto faciliorem poſſunt facere.

OPeræpretium me facturum exiſtimaui ſi hic adjicerem obſeruationes aliquot, è quibus diuerſæ viæ aperiuntur, per qas homines in Americæ partes veniſſe videri poſſunt nauigando : nam has vias minime negligendas opinor, ſi quidem adhuc tam obſcurum & difficile eſt terreſtri itinere in ipſam homines deducere.

Atque hîc primum ſe offerunt Inſulæ, quas hodie *Canarias* vocamus, & *Terceræ* ſiue *Azores*, & denique quas appellant *de Cabo verde*. Plinius grauiſſimus & diligentiſſimus auctor (cui debemus plurimorum Scriptorum reliquias, quorum opera hodie deſiderantur) lib. 4. Naturalis Hiſtoriæ agens de hiſce Inſulis, (vti ex ſitu intelligimus) cap. 31. & 32. hæc tradit. Polybius in extrema Mauritania contra montem Atlantem à terra ſtàdio octo abeſſe prodidit Cernem. Nepos Cornelius ex aduerſo maxime Carthaginis à continéte paſſus mille: non ampliorem circuitu duobus millibus. Traditur & alia Inſula contra montem

Digitized by Google

Atlantem & ipſa Atlantis appellata. Ab ea quinque dierum nauigatione ſolitudines ad Æthiopas Heſperios & promontorium, quod vocauimus Heſperion Ceras, Inde primum ſe circumagente terrarum fronte in occaſum ac mare Atlanticum.

Obſcurciſſima hac ſunt & ad rationes geographicas exigi non poſſunt: ſupra enim dixerat, à Theôn Ochema ad Heſperion ceras nauigationem eſſe quatridui. Opinor autem per Heſperion ceras hic intelligendum promontorium illud quod hodie appellamus Cabo verde. Pergit Plinius.

Contra hoc Promontorium Gorgades inſulæ narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui nauigatione diſtantes à continente, vt tradit Xenophon Lampſacenus. Penetrauit in eas Hanno Pœnorum imperator, prodiditque hirta fœminarum corpora, viros pernicitate euaſiſſe: duarúmque Gorgonum cutes argumenti & miraculi gratia in Iunonis templo poſuit, ſpectatas vſque ad Carthaginem captam.

Venit in mentem Gorgones de quibus hîc agit fortaſſis fuiſſe cercopithecorum illam ſpeciem, quæ adhuc hodie in Guinea & vicinis quoque regionibus reperitur, quorũ vnam fœmellam à noſtris adnectam vidimus, forma pene humana, cæterum hirtam, neque ſermonis gnaram.

Vltra has etiamnum duæ Heſperides inſulæ narrantur. Adeoque omnia circa hæc incerta ſunt, vt Statius Seboſus à Gorgonum inſulis prænauigatione Atlantis dierum XI. ad Heſperidum inſulas curſum prodiderit, ab iis ad Heſperion Ceras vnius. Nec Mauritaniæ inſularum certior fama eſt. Paucas modos conſtat eſſe ex aduerſo Autololûm, à Iuba repertas, in quibus Getulicam purpuram tingere inſtituerat.

Autololum gens media fuit inter Salam & Atlantem, vt tradit lib. 5. cap. 1.

Sunt qui vltra eos Fortunatas eſſe putant, quaſdam alias, quarum numerum idem Seboſus, etiam ſpatia, complexus, Iunoniam abeſſe à Gadibus DCCLM. paſſ. tradit. Ab ea tantumdem ad occaſum verſus Pluuialiam, Caprariámque: in Pluuialia non eſſe aquam niſi ex imbribus. Ab iis CCLM. paſſ. Fortunatas, contra læuam Mauritaniæ VIII M. paſſ. oram Solis (Clariſſ. Salmaſius corrigit Soliam) vocari in conualle à conuexitate, & Planariam à ſpecie conuallis, circuitu CCCM. paſſ. Arborum ibi proceritatem ad centum quadraginta quatuor pedes adoleſcere. Iuba de Fortunatis ita inquiſiuit: ſub meridiem poſitas eſſe prope occaſum, à purpurariis DCCXXV. (vel vt alij codices habent DCXXV)

Digitized by Google

M. paſſ. Sicvt CCL. ſupra occaſum nauigetur, deinde per LXXV M. paſſ. ortus petatur, (legendũ itaque foret ſuprà CCC XXV M. paſſ.) Primam vocari Ombrion nullis ædificiorum veſtigiis: habere in montibus Stagnum, arbores ſimiles ferulæ, ex quib. aquæ exprimantur, ex nigris amara, ex candidioribus potui iucũda. Alteram inſulam Iunoniam appellari, in ea ædiculam eſſe tantum lapide extructam. Ab ea in vicino, eodem nomine, minorem. Deinde Caprariam lacertis grandibus refertam. In conſpectu earum eſſe Niuariam, quæ hoc nomen accepit à perpetua niue, nebuloſam. Proximam ei Canariam vocari, à multitudine canum ingentis magnitudinis: ex quibus perducti Iubæ duo, apparéntque ibi veſtigia ædificiorum. Cum autem omnes copia pomorũ & auium omnis generis abundent, hanc & palmetis caryotas ferentibus & nuce pinea abundare. Eſſe copiam & mellis. *Hæc Plinius.* Manifeſte patet illos authores quos citat, quoſque intercidiſſe dolendum eſt, agere de inſulis illis quas hodie communi nomine Canarias appellamus, licet vna, quæ maior, per excellentiam Canaria appelletur. Atque hîc obſeruandum illos authores veſtigia ædificiorum in quibuſdam prodere, oportet ergo ante fuiſſe habitatas; è quo mihi probabile videtur inſulares illos aliò profectos, & fortè in Americam,

Digitized by Google

quæ coniectura probabilis videtur, ſi inſularum ſitus conſideretur, & diſtantia à Continente Americæ. Ante tamen monendum extra has adhuc eſſe *Azores* inſulas, quarum princeps *Tercera*, extimæ *Coruo* & *Flores*. Ad diſtantias quod attinet, obſeruat Ioſephus de Acoſta lib. 1. cap. 6. Inſulas Canarias, & Azores, & del Cabo verde à fine Europæ & Africæ ora non diſtare ſupra trecentas aut quingentas leucas, à Canibalum primis Inſulis vix nongentas. Verum ab extimis Azorum breuior traiectus eſt ad Inſulam *Terram nouam* quæ anguſto freto à Continente Septentrionalis Americæ dirimitur. Quum autem *Tercera* medio quaſi itinere iaceât inter Hiſpaniam & Americam, non video cur non tam facile è Tercera ad Americam, quam ab Hiſpania ad Terceram potuerit nauigari. Atque ita iam multi temporis compendium fecimus, potuit enim ea tranſmigratio ante annos bis mille fieri, ſi ætatem illorum Scriptorum ad calculum reuocemus. Et fuere ea tempora in Hiſpania, ab eo tempore, quo illis cum Pœnis, & deinde etiam cum Romanis res fuit, quæ illis gentibus Hiſpanicis pene neceſſitatem imponerent alias ſedes quærendi: Pœnorum autem naues ipſis ad hoc opportunæ erant: & Hanno mõſtrator itineris & exemplum. Ab inſulis

Digitized by Google

quoque quæ Promontorio viridi obiacent, haud difficulter in Braſiliam trajici poſſe manifeſtum eſt, & fauent huic coniecturæ Autololum mores, cum quibus Braſilienſes haud male congruunt. Et fuerunt Autololes illi Gætuli, non Æthiopes: ita vt color quoque Braſilienſium ab illorum colore non abludat.

SECVNDA OBSERVATIO.

OPportunæ quoque ad populũ in Continentem Americæ trajiciendum ſunt Inſulę Britannia & Hibernia, quæque iis adjacent Orcades, quamquam fateor diſtantiam longè maiorem eſſe, quam ab Inſulis illis de quibus iam diximus. Dauid Povvellus S. Th. Doctor in Cambriæ hiſtoria narrat, ad annum 1170. Ovveno Guyneth defuncto, dum filij inter ſe de Principatu contendunt & nothus armis ſuperior, illum obtineret; Madocum vnum ex Ovveni Guynethi liberis, diſcordiarum ciuilium & præliorum inter fratres pertæſum, comparaſſe ſibi aliquot naues & idoneis commeatibus aliiſque rebus in eas impoſitis è patria profectum vt nouas terras inueſtigaret: & Hibernia poſt tergum relictâ, verſus Zephyrum curſum inſtituiſſe, donec incideret in terras ante incognitas, vbi multa mirandaque obſeruauerit. Inde ad patriam reuerſus,

Digitized by Google

Cambris ſuis expoſuit quam amœnas & fœcundas terras adiiſſet, ſine vllis incolis, & ob quam ſterile & inamœnum ſolum fratres ſui armis inter ſe contenderent, & in vulnera & mutuum excidium quotidie ruerent: procliue eſſe ipſis & domeſtica pericula vitare & amœnis hiſce atque fœcundis terris potiri. Quum non paucis perſuaſiſſet, denuo naues plures ſibi comparauit, & omnibus neceſſariis impoſitis, magnum numerum virorum iuxta ac fœminarum, quos domeſticarum calamitatum pertædebat, ſecum in illas terras abduxit & patriæ ſuæ valedixit.

Annotat ad hæc Richardus Hacklutus in tertio volumine operis ſui, ipſo initio: Credibile eſſe, hunc Madocum & Cambros, quos ſecum duxit, partem aliquam illius Americæ continentis primum tum incolere cœpiſſe: eius haud leue indicium eſſe quod Franciſcus Lopez de Gomara prodiderit in Acuzamil fuiſſe inuentos qui crucem venerarentur, (de quo ante diximus quum de Iucatane ſermo eſſet:) verum quum pauci eſſent, mores ſecutos eorum quos ibidem inuenerant, & linguam quoque ſenſim mutaſſe. Addit, Madocum quum in illas terras veniſſet anno 1170. ſuis in Colonia relictis, denuo domum reuerſum, vt plures ex conciuibus ſuis & conſanguineis exciret: decem nauibus paratis tertio ad ſuos

Digitized by Google

profectum : idque ſe inueniſſe ab Gutyn ovven proditum, denique ſe omnino opinari, Madocum & Cambros illos aliquam partem Americæ Septentrionalis obtinuiſſe.

Carmina *Meredith* filij *Rheſi* mentionem facientia de *Madoco* filio *Ovveni Gnynedd* & de ipſius nauigatione in terras incognitas. Vixit hic *Meredith* circiter annum Domini 1477.

Madocvvyf, mvvyedicvvdd,
Iavvn genau, ovvyn Gvvynedd:
Ni fynnum dir, fy enaid oedd
Na da mavvr, ond y moroedd.

quæ Anglica lingua ita ſonant:

Madoc j am the ſonne of ovven Gvvynedd
Vvith ſtature large, an comely grace adorned
No lands at home nor ſtore of vvealth me pleas,
My minde vvas vvhole to ſearch te ocean ſeas.

Summa eſt, Madocum ſpretis domi diuitiis, vnicè delectatum nauigatione Oceani. Quamquam hæc Madoci nauigatio admodum incerta ſit, neque valde antiqua; fieri tamen potuit vt ante ex Hibernia ſimilia fuerint tentata. Et operæ pretium foret inquirere, vtrum aliqua conuenientia linguæ

Digitized by Google

deprehendi poſſet; magis enim promittere videtur linguæ Cambricæ idiotiſmus quam Norvvagicæ, non infelicem conatuum ſucceſſum. Vt autem quis experiri poſſit, ſubjicio hic ſyllogen nominum partium corporis humani, ex vtraque lingua tum Cambrica tum Hibernica.

C.		H.
Dyn	*Homo*	Duini
Corf	*Corpus*	Colann
Enaid. Anadl	*Anima*	Anam
Cig, cnavvd	*Caro*	Feoil
Croen, pân	*Pellis*	Craicinn
Gvvaed	*Sanguis*	Fuil
Aſgvvin	*Os oſſis*	Cnaimh
Gvvythen	*Vena*	Cuiſli
Gevvyn	*Nerui*	Fetheach
Briger	*Crines*	Gruag
Pen	*Caput*	Cionn
Penglog	*Cranium*	Cloiginn.
Ymmennidd	*Cerebrum*	Inchinn
Llynntro	*Vertex cap.*	Ceanu matullach
Gvvegil	*Occiput*	Culanchinn
Yriad	*Sinciput*	Eadan
Tal	*Frons*	Clatreadan
Catad. llygad	*Genæ*	Cruaigh
Llygad	*Oculus*	Suil
Amrãt llygad	*Cilium*	Mogall na Sul
Mablygad	*Pupilla*	Macimreaſan
Trvvyn	*Naſus*	Sron

C.		H.
Ffroen	*Nares*	Pollain
Gvviſt	*Labia*	Puiſmidh
Genau	*Os oris*	Bel
Yſgittir	*Dentes*	Fiacla
Tafod	*Lingua*	Teangaidh
Ceg	*Guttur*	Sgoznach
Cluſt	*Aures*	Cluaſa
Aſgvvin grudd	*Maxilla*	Giall
Barf	*Barba*	Feaſog
Elgeth	*Mentum*	Smigid
Bron	*Pectus*	Vcht
Teth	*Mammillæ*	Cincha
Aſen	*Coſtæ*	Eaſnach
Bru. Boly	*Venter*	Bolgh
Bogail	*Vmbilicus*	Imliocan
Cysh	*Inguen*	Blen
Mordvvydd	*Femora*	Lairgeach
Cluâ	*Clunes*	Maſa
Tin. Tvvill	*Anus*	Ton
Clin	*Genu*	Glun
Coes, gommach	*Crura*	Loirgneach
Llygoden	*Sura*	Colpuidhe
Troed	*Pes*	Troigh
Bys	*Digiti*	Meir
Modfedd	*Pollex*	Ordogh
	Index	Corrinher
	Medius	Mermeadhon
	Annularis	Tanaiſde

Digitized by Google

C.		H.
Sovvdl	*Calcaneum*	Sal
Gvvddf	*Collum*	Muinet
Cefn	*Dorſum*	Druim
Yſgvvydd	*Humerus*	Guala
Elin	*Cubitus*	Ville
Llavv. Adaf	*Manus*	Crobh
Llavv	*Palma*	Dearnad.
Cregin	*Vnguis*	Ionga
Dyrnyn	*Pugillus*	Glac.

Addamus & conſanguinitatis gradus Cambricè.

Pater *Tád, Tadvvys.*
Mater *Mam. Mammvvs. Mammaeth.*
Filius *Mab.* Filia *Merch.*
Frater *Bravvd.* Soror *Chvvaer.*
Auus *Taid, hendad. tádcu.* Patruus *Evvythr fravvd tâd.*

Numerorum quoque nomina è lingua Cambrica.

Vnus, *Vn, Vnig, & hûn cyntaf.*
Duo *Dau, dvvy.*
Tres *Tri.* Quatuor *Pedvvar:*
Quinque *Pump.* Sex *Chvvech*
Septem *Saith.* Octo *Vvyth.*
Nouem *Navv.* Decem *Deg.*

Digitized by Google

Deniquenomina earum rerum quæ vbique fere ſunt obuiæ.

Mons *Mynydd. Bre. Brynn. Moel. Trunm. Garth.*
Collis *Bryn. Bryncyn. Cefnen.*
Vallis *Glynn. Diffryn. Dol. Pant. Allmor.*
Arbor *Pren. Gvvydden. Coeden.*
Herba *Llyſicuyn. Glasvvllr. Corſen yd.*
Fons *Ffynnon. ffynbonvvys. Gofer. ffynnon.*
Torrens *Angerdoll. Nertholl.*
Fluuius *Aſon. Priffaſon.*
Pons *Pont. Yſgol Mevvn. llong.*
Lacus *Grelyn. Llyn. Llyn. Llvvch. Pvvll.*
Anguis *Nerds. Sarph.*
Formica *Myvvionyn. Morgrugyn. Grugionyn.*
Ignis *Tân. Vfel. Serch. Puttain.*
Cinis *Lludvv.* Carbo *Marvvoryn. Gloyn.*
Pluuia *Glavv.* Ventus *Gvvynt. Avvel.*
Gelu *Ia. Iaen. Rhevv. Durevv. Oerfel.*
Ceruus *Carvv. Hydd. Eſton. Rhydain.*
Sus *Hvvch. Mochyn. Tvvrch. Cunar.*
Lupus *Bllaid. Cidvvn.*
Vulpes *Cadno. Cadnavv. Llvvynog.*
Coruus *Brân. Cigfran.*
Cœlum *Cyn. Cerſio.*
Sol *Haul. Heulvven. Haan. Tês.*
Lana *Llenad. Lloer.*
Stella *Seren.* Nubes *Cvvmmvvl. Vvbren.*
Tonitru *Taran. Tvvrvvf. Tyrfan.*

Digitized by Google

Fulgur *Llucheden. Mellden.*
Aqua *Dvur. Dvufr. Aueddvur.*
Piſcis *Pyſg. Pyſgodyn.*
Sal *Halen. Diſyrrvuck Digrifvuch.*
Lapis *Carreg. Maen Llechen.*

Atque hæc quidem in veteri lingua atque etiam hodierna Cambrobritannorum ita ſe habent. Nunc eadem aut pleraque è lingua Danica quæ tantum dialecto (niſi fallor) differt à Norvvagica, adſcribam.

Homo *Menniske,*	Corpus *Legemme,*
Anima *Siel,*	Caro *Kiod,*
Sanguis *Blod,*	Cutis *Hud,*
Os oſſis *been,*	Vena *Blod aare,*
Neruus *Sene,*	Capillus *Haar,*
Caput *Hoffuit,*	Craniũ *Hoffuet skael,*
Cerebrum *Hierne,*	Vertex *Krune,*
Occiput *Nacke,*	Sinciput *for hoffuit,*
Frons *Stiern,*	Gena *Kindbeen,*
Oculus *Oye,*	Cilium *oyn Huol,*
Pupilla *Oyenſteen,*	Naſus *Naeſe,*
Labia *Laebe,*	Os oris *Mund,*
Lingua *Tunge,*	Guttur *Strube,*
Maxilla *Keffte,*	Dens *Tand,*
Auris *Ore,*	
Barba *Skeg*	
Mentum *Hage*	
Collum *Halſs*	Pectus *Bryſt,*

Hume-

Humerus *Skuldre*
Manus *Haand*
Vuguis *Negel*
Dorſum *Ryg*
Cor *Hierte*
Lien *Mildt*
Genua *Knæ*
Pes *Fod*
Talus *Ankel*
Pater *Fader*
Filius *Soon*
Frater *Broder*
Auus *Far Bader*
Mons *Bierg*
Vallis *Dael*
Herba *Vrt*
Fluuius *Flod*
Lacus *Poel*
Formica *Myre*
Pluuia *Regn*
Gelu *Froſt*
Sus *Soe*
Vulpes *Reff*
Cœlum *Himmel*
Luna *Maane*
Nubes *Sky*
Fulgur *Linnet*

Brachium *Arm*
Digitus *Finger*
Venter *Bug*
Iecur *Leffner*
Pulmo *Lunge*
Renes *Nyren*
Crura *Skinkel*
Suræ *Leg*

Mater *Moder*
Filia *Daatter*
Soror *Soeſter*
Patruus *FarBroder*
Collis *Hoey*
Arbor *Træ*
Fons *Kielde*
Pons *Bro*
Anguis *Snog*
Ignis *Ild*
Vẽtus *Veir, Blæſt*
Ceruus *Hiort*
Lupus *Vlff*
Coruus *Raffn*
Sol *Soel*
Stella *Stierne*
Tonitru *Torden*
Aqua *Vand*
Piſcis *Fisk*

Commodum nactus dictionariolum Iſlandicum adjicio & eadem lingua Iſlandica.

Homo *Madur,*	Corpus *Lykame,*
Caro *Holl, kiot,*	Sanguis *Blod,*
Cutis, *Hund,*	Os oſſis *Bein,*
Vena *Adur,*	Neruus *Sin,*
Capillus *Haar,*	Caput *Hofud,*
Cranium *Huitſil,*	Cerebrum *Heile,*
Occiput *Hnake,*	Sinciput *Eune allt ad eyrũ,*
Frons *Dune,*	Gena *Kinn,*
Oculus *Auga,*	Ciliũ *Augna haar,*
Pupilla *Augaſtiem,*	Naſus *Nef;*
Labium *Voer,*	Os oris *Munnur,*
Lingua *Tunga,*	Guttur *Barke,*
Dens *Toonn,*	Auris *Eyra,*
Barba *Skiegg,*	Mentum *Haka,*
Collum *Haals,*	Pectus *Brioſt,*
Humerus *Auxl,*	Brachium *Armlegg,*
Manus *Hoond,*	Digitus *Fingur, taer,*
Vnguis *Nogl,*	Venter *Kuidur,*
Dorſum *Hriggur, bak.*	Iecur *Lifur,*
Cor *Hiarta,*	Pulmo *Lunga,*
Lien *Millte,*	Renes *Nyru,*
Genu *Knie,*	Crus *Bein, Leggur,*
Pes *Footur,*	Sura *Kaalfe,*
Talus *Onkle,*	
Pater *Fader,*	Mater *Moder,*
Filius *Sonur,*	Filia *Dotter,*

Frater *Broder*,
Auus *Afe*,
Mons *Fiall*,
Vallis *Dalur*,
Herba *Gras*,
Fluuius *Vatsfal*,
Formica *Maur*,
Pluuia *Regn*, *dogg*.
Gelu *Froſt*,
Sus *Snin*,
Vulpes *Refur*,
Cœlum *Himen*,
Luna *Tungl*,
Nubes *Sky*,
Fulmen *Elding*,
Piſcis *Fiskur*,
Sal *Salt*
Soror *Syſter*,
Patruus *Faderbrodur*,
Collis *Hooll*,
Arbor *Trie*,
Fons *Brunnur*,
Serpens *Higgermur*,
Ignis *Elldur*,
Ventus *Biir*,
Ceruus *Hiortur*,
Lupus *Vulfur*,
Coruus *Hrafy*,
Sol *Sool*,
Stella *Stiarna*.
Tonitru *Skrugga*,
Aqua
Lapis *Steene*,

Deinceps nobis tentandum erit an aliquam ſimilitudinem poſſimus reperire, in vocabulis quæ obſeruauimus, inter gentes quæ Septentrionalem Americam incolunt.

Caput

Cambris *Pen*, Danis *Höffuit*,
Incolæ Metæ incognitæ dicunt *Mutchatet*.
Hurones *Scouta*. Hochelagenſes *Aggonzi*,
Souriquoſij *Menougi*, Sankikani *Vuyer*,
Maquaaſij *Anonſi*, Mexicani *Tzontecontli*.

Naſus

Camb. *Truyn*, Danis *Naeſe*,
Incolæ Metæ incognitæ *Cangruvve*, Hurones *Aongya*, Hochelagenſes *Hehongueſto*, Souriquoſij *Chichkon*, Sankikani *Akyvvan*, Maquaaſij *Oneyatſa*, Mexicani *Yactli*.

Oculus

Camb. *Llygad*, Dan. *Oye*,
Incolæ Metæ incognitæ *Arered*, Hurones *Acoinha*, Hochelagenſes *Higata*, Souriquoſij *Nepiguigour*, Sankikani *Schinquoy*, Mexicani *Ixtelolotli*.

Auris

Camb. *Clust*, Dan. *Oore*,
Incolæ Metæ incognitæ *Chevuat*, Hurones *Ahontta*, Hochelagenſes *Ahontaſcon*, Souriquoſij *Seckdoagan*. Sankikani *Hyttrvvack*, Maquaaſij *Ohochtha*, Mexicani *Nacaztli*.

Dens

Camb. *Yſgithr*, Dan. *Tand*,
Incolæ Metæ incognitæ *Keiotot*, Hurones *Aſchonchia*, Hochelagenſes *Eſgongas*, Souriquoſij *Nebidie*, Sankikani *Vvypyt*, Mexicani *Tlantli*.

Manus

Camb. *Llávu*, *Adaf*, Dan. *Haand*,
Incolæ Metæ incognitæ *Argoteyt*, Hurones

Ahonreſſa, Hochelagenſes *Aignoaſcon*, Souriquoſij *Nepeden*. Sankikani . . . . . . Mexicani *Maytl*.

Pes

Camb. *Troed*. Dan. *Fod*, Incolæ Metæ incognitæ *Atoniagay*, Hurones *Achita*, Hochelagenſes *Onchidaſcon*, Souriquoſij *Nechit*, Sankikani *Syt*, Mexicani *Icxitl*.

Pater

Camb. *Tâd*. Dan. *Fader*, Hurones *Ayſtan*, *Aihtaha*, Souriquoſij *Nonchix*, Mexicani *Tachtli*.

Mater

Camb. *Mam*, Dan. *Moder*, Hurones *Anan*, *Ondouen*, Souriquoſij *Nexich*, Mexicani *Nantli*.

Mons

Camb. *Mynyd*, *Bre*, *Bryn*, Dan. *Bierg*, Hurones *Quieu non toute*, Hochelagenſes *Agacha*, Souriquoſij *Pamdemour*, Mexicani *Quauhtla*.

Aqua.

Camb. *Dvuer*, Dan. *Vand*. Hurones *Aouen*, Hochelagenſes *Ame*, Souriquoſij *Empye*, Mexicani *Atl*.

Arbor

Camb. *Prenn. Gvuydden*, Dan. *Tre*, Hurones *Tarby* aut *Tharby*, Souriquoſij *Hitteoke*.

Cœlum

Camb. *Cyn*, *Cerſio*. Dan. *Himmel*. Hurones *Haronhiage*, Hochelagenſes *Quenhia*, Mexicani *Ilhuicatl*, Ganadenſes *Oüajek*.

Sol

Camb. *Haul*, *Hâan*, *Tes*. Dan. *Soel*, Hurones *Andicha*, Hochelagenſes *Yſmay*. Souriquoſij *Achtek*, Mexicani *Tonatiuch*.

Stella

Camb. *Seren*. Dan. *Sticrne*, Hurones *Tichion*, Hochelagenſes *Stagnehoham*, Souriquoſij *Kerkoeth*, Mexicani *Citlabin*.

Ventus

Camb. *Gvuynt*, *Avuel*, Dan. *Veir*, *Blaſt*, Hurones *Yoquoiſſe*, Hocnelagenſes *Coheba*, Mexicani *Yeccatl*.

Pluuia

Camb. *Glavu*, Dan. *Regn*, Hurones *Yondot*, Sankikani *Soukeree*, Mexicani *Quiahuitzli*.

Tonitru.

Camb. *Taran*, *Tyrſan*, Dan. *Torden*, Hurones *Inon*, Mexicani *Tlatlatzikil*.

Digitized by Google

Ignis

Camb. *Tân, Vſel,* Dan. *Ild,* Hugones *Aſſiſta,* Hochelagenſes *Aziſta,* Souriquoſy *Bucktouvn*, Sankikani *Tinteyvue,* Maxicani *Ttetl.*

Caro

Camb. *Cig, Cnavud,* Dan. *Kiood,* Hurones *Auoitſa*, Mexicani *Nacatl.*

Cor

Camb. *Colon, Meddvul,* Dân. *Hiorte,* Hurones *Auoiachia,* Mexicani *Yollo&li,*

Luna

Camb. *Ileuad, Iloer.* Dan. *Maane,* Hurones Hochelagenſes *Aſſomaha,* Mexicani *Mextli.*

Lapis

Camb. *Carreg.* Dan. *Steene.* Hurones *Ariotu,* Mexicani *Tetl.*

Digitized by Google

Tertia Observatio.

De veterum Scytharum moribus & inſtitutis, & eorum comparatio cum Americanorum moribus.

QVia vir Clar. Hugo Grotius in ſua diſſertatione, vt ſupra vidimus, negauit Americanos originis eſſe Scythicæ ex diſſimilitudine morũ, neceſſarium putaui paulo diligentius ipſorum veterum Scytharũ mores & inſtituta indagare & cum Americanis comparare. Plinius Hiſtor. Natural. l. 4. c. 12. Scytharum gentes ab Iſtro orſus; *Scytharum*, inquit, *nomen vſquequaque tranſit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis priſca illa durauit appellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti prope cæteris mortalibus degunt.* Ex quibus videmus nomen Scytharum latiſſime patuiſſe & illos ad extremos vſque Aſiæ fines incoluiſſe. Deinde: *A Taphris per continentem*, inquit, *introrſus tenent Auchetæ, apud quos Hypanis oritur. Neuri apud quos Boryſthenes, Geloni, Thuſſagetæ, Budini, Baſilidæ, & cæruleo capillo Agathyrſi. Super eos Nomades: dein Anthropophagi.* Ecce hic ſtatim Nomades & Anthropophagi. Porro lib. 6. c. 13. *Ab extremo*, inquit, *Aquilone ad initium orientis æſtiui Scythæ ſunt.* Commemoratis autem Hyperboreis & Arimphæis.

Vltra eos plane iam Scythæ, Cimmerij, Ciciãthi, Georgi & Amazonum gens. Hæc vſque ad Caſpium & Hyrcanum mare. Deinceps cap. 17. *Vltra ſunt Scytharum populi. Perſæ illos in vniuerſum Sacas appellauere à proxima gente, antiqui Arameos, multitudo populorum innumera, & cum Parthis ex æquo degit.* Proſequitur deinde; *Inſulæ toto eo mari multæ, vulgata vna maximè Tazata: à Caſpio mari Scyticoque Oceano, in eam curſus inflectitur, ad Orientem conuerſa littorũ fronte. Inhabitabilis eius prima pars, à Scythico promontorio, ob niues: proxima inculta ſæuitia gentium. Anthropophagi Scythæ inſident, humanis corporibus veſcentes. Ideo iuxta vaſtæ ſolitudines, ferarúmque multitudo, haud diſſimilem hominum immanitatem obſidens. Iterum deinde Scythæ. Iterumque deſerta cum belluis vſque ad iugum incumbens mari, quod vocant Tabin.* Hic iterum vides Anthropophagos inter Scythas: ita vt maxime veriſimile ſit hos primos in Americam tranſiſſe aut trajeciſſe; & licet iam in Septentrionali parte nulli Anthropophagi reperiantur, in Meridionali autem multi, maxime probabile eſt eos ſenſim ad Meridiem ab Arcto promouiſſe ſedes. Dicit quidem Plinius lib. 8. cap. 42. *Scythæ quidem equitatus & equorum gloria ſtrepunt.* Sed non neceſſe eſt hoc de omnibus Scythis intelligere, quum plurimas ipſorum gentes fuiſſe conſtet.

Digitized by Google

Strabo lib. xi. *Plerique Scytharum qui à Caſpio mari incipiunt, Daæ appellantur: Orienti viciniores Maſſagetæ & Sacæ, reliquos communi nomine Scythas dicunt quanquam ſinguli populi etiam ſua nomina habent. Plerique omnes vagam degunt vitam, id eſt Nomades ſunt.* Hoc quoque optime cõuenit cum pleriſque Gentibus quæ vtramque Americæ partem incolunt; nam & ipſi ſæpe loca mutant, vt ſatis compertum.

Ibidem de Maſſagetis, qui pars Scytharum. *Solem vnicum Deum agnoſcunt*, eique equum ſacrificant. *Vnam quiſque vxorem ducit:* interim etiam alienis vtuntur: neque id occultè: qui cum aliena coit, pharetra de curru ſuſpenſa id aperte facit. *Mortis genus optimum cenſent, ſi ſenio confecti cum carnibus ouillis in fruſta concidantur, vnaque deuorentur.* Qui è morbo decedunt, eos abjiciunt tanquam impios & dignos qui à feris vorentur. Equites boni ſunt & pedites. *Arcubus vtuntur & gladiis*, & thoracibus æreiſque ſagaridibus: ſiue bipennes hæ ſunt. Cingula iis aurea & diademata in pugnis: aurata etiam equorum fræna & lora humeralia. Argentum apud eos non naſcitur; neque ferri multum, æris & auri abunde. Qui in inſulis degunt, quia ſementem non faciunt, *radicibus veſcuntur & fructibus vtuntur ſylueſtribus: amiciunt ſe arborum corticibus, quia pecore etiam carent: ſuccum bibunt*

Digitized by Google

ex arboreis fructibus eliſum. Qui paludes incolunt, *ij piſcium eſu viuunt: veſtiuntur vitulorum marinorum pellibus, qui è mari ad eos ſurſum accurrunt.* Montani *ſylueſtribus ipſi quoque fructibus aluntur:* habent etiam paucas aliquas oues: ſed non cædunt eas, lanæ cauſa & lactis parcentes: *veſtem pigmentis illitis variant, quorum vigor non facile euaneſcat.* Campeſtres *agrum quidem habent, ſed non colunt: ſed victum* ex ouibus & *piſcibus petunt, Nomadum ac Scythico more.* Eſt enim communis quędam viuendi ratio omnium iſtorum populorum, quam ſepe dixi: Sepultura quoque eadem eſt, iidem mores. *Tota vitæ ratio libera quidem, ſed praua, fera & bellicoſa: ad contractus ſimplex & fraudis pura.*

In omnibus illis quæ deſignauimus alio charactere facile reperire eſt magnam ſimilitudinem in cultu, moribus, veſtitu, victuque inter Scythas & Americanos.

Idem lib. xi. collocat à mari Caſpio verſus Oriētem Scythas Nomades, *qui*, inquit, *vſque ad mare Orientale & Indiam porriguntur.* Quum itaque Scytharum gens tam late patuerit, haud difficile eſt credere illos in oppoſitam Americæ continentem trajeciſſe. Quod vero non reſpondeant per omnia mores & inſtituta, id ex eo fit, quod ne Scytharum quidem omnium vnum fuerit vitæ inſtitutum (vt ſcribit Strab. ex Epho-

Digitized by Google

10, lib. 7.) *quoſdam enim eo immanitatis progredi, vt humanis etiam veſcantur carnibus: contra alios ab aliis etiam animantibus abſtinere.* Saltem ex iis quæ dicta ſunt patet Americanorum mores magis cum Scythis quam cum Germanis conuenire. Porro neque Tartari, qui hodie illam partem Aſiæ incolunt vbi quondam Scythæ egerũt, iam per omnia conueniunt cum Scythis illis antiquis; nam multas vxores ducunt (vt ſcribit Ioannes de Plano Carpini) quum Scythæ tantum vnam habuerint. Neque victus neque amictus ſatis conueniunt. Habent tamen alia quæ cum quibuſdam nationibus Septentrionalis Americæ conſonant. Inter quæ imprimis eſt, forma corporum. Tartari (inquit idem) inter oculos & genas pluſquam alij homines ſunt lati. Genæ etiam ſatis prominent à maxillis. Graciles ſunt generaliter in cingulo, exceptis quibuſdam paucis. Pene omnes ſunt mediocris ſtaturæ. Barba fere omnibus minime creſcit. Aliqui tamẽ in inferiori labio & in barba modicos habent crines, quos minime tondent. Super verticem capitis in modum clericorum habent coronas, & ab aure vna vſque ad aliam, ad latitudinem trium digitorum ſimiliter omnes radunt. Secundo cultus & veneratio. Nam licet vnum Deum credant factorem omnium viſibilium & inuiſibiliũ, tamen Solem, lumina, ignem venerantur,

Digitized by Google

adorant & aquam & terram. De vita æterna & damnatione perpetua nihil ſciunt: credunt tamen quod poſt mortem in alio ſeculo viuant, greges multiplicent, comedant, bibant,& alia faciant, quæ in hoc ſeculo à viuentibus fiunt. Diuinationibus, auguriis, auſpiciis, veneficiis, incantationibus multum intendunt. Nec ingenia malè conueniunt: Homines ſunt immundi in ſumendo cibum & potum, & aliis factis ſuis. Etiam cibus: Cibi eorum ſunt omnia quæ mandi poſſunt. Comedunt canes, lupos, vulpes & equos; & in neceſſitate carnes humanas.

Qui porro ſuperioribus annis è Ruſſia illas regiones luſtrarunt, narrant iuxta *Pechoram* Samoedas habitare Principi Moſcouiæ ſubjectos: à *Pechora* autem verſus Aquilonem eſſe *Vaygatz*, iuxta quæ loca habitent ſylueſtres Samoedæ, qui Anthropophagi eſſe feruntur. De Promontorio Tabin Geographi noſtri multa: Gerardus autem Mercator eorum facile princeps ſuſpicatur inter nouam Zemblam, & Tabin mare eſſe dulce: quod argueret Oceanum iuxta illa loca in anguſtias concluſum ab ingentibus fluminibus temperari & ſalſuginem deponere.

Operæpretium autem fuerit hic pauca adjicere de Samoedis, qui iuxta flumẽ Obij degunt: obſeruatum enim à Ruſſis. Hunc

populum non habere vllas vrbes, ſed gregatim inter ſe & pacifice degere, ac ſenioribus aliquot regi, in victu eſſe immundos & ferarum, quas caperent, carnibus victitare, frugum paniſve nullam habere notitiam: ſollertes eſſe atque induſtrios admodum ſagittarios, arcus è lento quodam & flexibili ligni genere conficere, lapidibus exacutis, vel & piſcium ſpinis pręmunitos. hiſce feras trajicere, quarum maximus inibi eſt numerus: fuere quoque piſcium ſpinis, quæ pro acubus ipſis eſſent, ſicut animalculorũ quorumdam nerui pro filo, atque ita conſerere quibus ſe induerent pelles. quarum pilos æſtate quidem extrorſum, hyeme vero introrſum verterent: domos ſuas tegere Alcium aut ſimilium animalium pellibus, quas nullo haberent loco.

Eoſdem eſſe ſummos idololatras, ſortilegos & incantatores in confeſſo eſt.

Itaque hic quoque manifeſtiſſime ſimilitudo morum inter has gentes & incolas Septentrionalis Americæ deprehenditur, & quidem longe maior quam cum Norvvagis aut aliis Gentibus Germanicæ originis. Et longè procliuius eſt ab hac parte incolas in nouum orbem inducere quam à Norvvagia per Iſlandiam & Groenlandiam, & cæteras regiones eis vicinas. Potuerunt enim vel rhedis ſuis ſuper glacialem Oceanum vehi, & ita in Americam trajicere; ſiquidem na-

Digitized by Google

uibus hîc nihili opus fuerit: atque eodem itinere etiam plurima animalia his familiaria potuerunt tranſcendere. Quibus accedit quod his equorum copia aut vſus non tribuitur; quod viro Clariſſ. obſtitit ne poſſet credere è Scythia incolas in Septentrionalem Americam veniſſe. Atque hoc iter agi potuit extra circulum Arcticum, & per terras non tam glaciei & profundis niuibus obnoxias: quanquam hæ gentes illas quotidie magna induſtria ſuperent. Quum Groenlãdia omnis quam proximè ad ipſum polum Arcticum accedat, & patentibus fretis ſit diuiſa.

De Iſlandis & Groenlandis.

Iſlandi antiquitus (vt tradit Angrimus Ionas) Ariſtocraticum repub. ſtatum eligentes, Ciuitatem ſuam in Tetrades, à ſingulis mundi cardinibus denominatas diuiſerunt; eas rurſus in tertias præter Borealem cæteris maiorem, in alias quartas. Tertias vero iſtas rurſus in ſuas partes diuidebant, alias quidem decimas, alias paulo aliter, quas *Hreppar* nominabant, quarum vnaquæque ad minimum xx. colonos continebat, certo ſenſu definito. Tertias autem illas & Borealis tetradis quartas nominabant *pyng* (credo potius thing, nam illam literam quæ conuenit cum θ Græc. ſæpe effert per p) Deorum Septentrionalibus primus erat

Thor : cui alios tres adiungebant *Freyer*, *Niordur*, *As*. Qui omnes Reges fuerunt; Arctoris enim gentibus familiare fuit Reges defunctos pro diis colere: ſed horum cultus ad Iſlandos non peruenit. Iſlandi diis ſuis homines immolabant ad grande ſaxum eos collidentes : ſed tantum duobus locis, neque diu ea immanitas durauit.

Mendicos alere vetabant, niſi vel morbo vel ætate, ſine vlla ſua culpa id accidiſſet. Præfectus prouincialis dicebatur *Godar* & *Hoffgodar*. Conuentum iuridicum ſummum appellabant *Althing*. Iudices omnes, actor, reus, teſtes, in foro initio actionis omnem dolum, omnémque iniuſtitiam ſancte abnegabant: hiſce conceptis verbis Hialpe mier ſuo Freyer og Niordur og hiu Almattke As. noſtrates dicerét Helpe my ſoo Freyer, oock Niordur, oock de Almachtige As.

Adiuuet me ita freyer atque Niordur, & ille omnipotens As.

Rempublicam ſuam certis etiam ſcriptis legibus gubernarunt.

Matrimonia non niſi inter licitos gradus contrahebanr, & coram teſtibus ſtipulabantur cum ſpondentibus.

Stuprum, raptum, adulterium, inceſtum grauiſſime puniebant : ſed & baſia atque amplexus clandeſtinos

Patris

Patris matriſue familias defunctorum hæreditatem capiebant filij familias, dein filia, ſi filij deeſſent. Tutelæ ius hæreditariæ ſucceſſionis ordinem ſequebatur.

Atque hæc quidem in Iſlandia obtinuerunt ante Chriſtianiſmum quem demum anno milleſimo admiſerunt.

Gronlandia (vt idem narrat) primum adita ab Erico Ruffo anno Domini 982. Hic primus omnium verſus occidentalem plagam, ex patria nauigans, terram reperit, cui poſt triennium (quod ibidem exegit) Gronlandiæ nomen indidit, eamque mox incoluit & Gentem condidit Gronlandicam, in terra antea prorſus deſerta, ſedibus poſitis in ſinu à ſuo nomine dicto *Eriſckfioordur*, extructo pago, *Brattalyd* vocato, & altero, in vlteriore ſinus ripa huic oppoſito cui nomen *Stockanes*.

Gronlandi poſt annos XVIII, hoc eſt anno CIↃ (quo & Iſlandia totaliter) ad Chriſtianum nomen conuerſi ſunt, opera & deuotione Olai Tryggoni, Norvvagiæ R. cui negotio Leyfus Erici ruffi Gronlandicæ gentis conditoris filius, præfectus eſt, in Norvvegia prius ſacro fonte ablutus.

Gronlandiam veteres diuidebant in Orientalem & Occidentalem: vnde colligo (inquit Angrimus) ad Meridiem & Septentrionem non fuiſſe habitatam. In Orientali Gronlandia parochiolæ conſtitutæ ſunt

duodecim:in Occidentali tantum quatuor: ſingulæ nomine notatæ. Hinc Epiſcopi additi, nempe Anno c i ɔ c x x i. quidam Ericus, ſed quantum ſuſpicor, cathedram (quæ Gardenſis dicta eſt, *Gardar à Grenlando, biskups ſtoll*, ſita in ſinu *Einarc Fioord*) non adiit; traditur enim eodem anno Inſulam Vynlandiam illis dictam, iuiſſe quæſitum, in quo itinere forſan periit. Suſpitio illa hinc eſt, quod Arnhaldus à Lundenſi Epiſcopo Scaniæ circa annum c i ɔ c x x i v. rogatu Regis Norvvegiæ ordinatus, à pleriſque primus Epiſcoporum Gronlandiæ numeretur, cum ſcilicet ante annum, hoc eſt Anno 1123. Gronlandi Norvvegis tributarij facti eſſent.

Monaſterium in Gronlandia nullum vnquam commemoratur. Eccleſia vel Cathedra Gardenſis D. Nicolao fuit dicata, quem conſtat iſto ſeculo, à nautis, ac præcipue tam longinquas oras petentibus cultum fuiſſe.

Arnhaldi in Epiſcopatu Gronlandiæ vndecim ſucceſſores, diſtinctis temporibus numerantur. Ad annum vſque cıɔcccLxxxıx. Quo Henricus quidam præfuit, cuius ſucceſſor Andreas Anno c i ɔ c c c c L x i Iſlandiam attigit. Poſt hunc autem annum altum eſt de Epiſcopis, nedum monachis Gronlandiæ, qui nulli fuerant, ſilentium. Hæc paulo prolixius ex Angrinio Iona retu-

Digitized by Google

limus, vt liqueat, Gronlandos ſtatim poſtquam ibi incolere cœperunt Chriſtianos eſſe factos: minuſque veriſimile eſſe, quod ſupra Clariſſ. Vir. Hugo Grotius aſſeruit, incolas Americæ Septentrionalis, aut ab Iſlandis aut Gronlandis ipſorum propagine, originem accepiſſe. Nam quum vtrique tamdiu Chriſtianiſmum fuerint amplexi, & ſemel acceptum tam conſtanter coluerint, non eſt rationi ſatis conſentaneum, tam politeiam quam religionem apud gentes eiuſdem originis ita plane extingui potuiſſe.

OBSERVATIO QVARTA.

HActenus à parte orientali aditum ad Americam quæſiuimus, nunc & ab Occidente eſt inueſtigandus. Continens Americæ vtriuſque longiſſimis terrarum ſpatiis ſe extendit ad mare Pacificum à ſinu Californiæ & Promontorio S. Lucæ ad promontorium Mendocinum atque vltra haud dubio ad ipſam Aſiam. Præterea in ipſo mari Pacifico ſeu meridionali ſuperioribus annis è Peruuia nauigando verſus Occidentem inuentæ ſunt Inſulæ Salomonis, admodum grandes & multæ, interuallo circiter octingentarum leucarum: & communis opinio obtinet haud longè ab illis abeſſe Continentem terram; neque verò abſimile credit Ioſephus de Açoſta lib. 1,

cap. 6. illam ſe coniungere cum terris quæ ſunt vltra fretum Magallanicum. Verum ſuperioribus annis à noſtris atque etiam aliis fuit deprehenſum ſatis latum mare, (quantum nondum ſatis conſtat) intereſſe inter illas Inſulas ad fretum Magallanicum & terras illas auſtrales de quibus agit Acoſta. Vt ſi illas coniungere libet omnino magno gyro ambiendum ſit, (intra an extra circulum Antarcticum non dixerim, neque conſtat) ad Nouam Guineam, atque ita regrediendum ad fretum Magallanicum. Certè, vt credit Acoſta, Noua Guinea Continens cenſetur neque longe diſſita ab Inſulis Salomonis. Vt autem de hiſce Inſulis Salomonis aliquid dicamus: Lopez Vaz teſtatur, eas inuentas fuiſſe cum Licentiatus de Caſtro pro Rege eſſet in Peruuia: ſitas autem eſſe octingentas leucas ab ora Peruuiæ, ad altitudinem vndecim graduũ ab Æquat. verſus Auſtrum: priori nomen inditum Izabella alteri & quidem maiori Guadalcanal; Secundum cuius oram nauigarint leuc. centum quinquaginta: vtriſque autem nomen Salomonis inſularum datum, quia credi volebant R. Salomonem inde ſuum aurum petiiſſe.

Antonius de Herrera Hiſtoriographus Regis Hiſpaniarum in deſcriptione Indiarum cap. 27. Ora, inquit, nouæ Guineæ initium capit, centum leuc. verſus orientem ab

Inſula Gilolo, ad vnum gradum, paulo plus aut minus ab Æquatore verſus Auſtrum, atque ita in longitudinem protenditur verſus Ortum, trecentis leuc. donec aſcendat ad quintum aut ſextum gradum; Dubitatum hactenus an ſit Inſula an vero Continens, quia in tantum ſe extendit, vt videri poſſet ſe iungere cum Inſulis Salomonis aut prouincia Freti Magallanici verſus Auſtrum, verum hoc dubium iam ſolutum, quia qui nauigarunt ſecus partem auſtralem eiuſdem freti affirmant, illam non eſſe Continentem, ſed inſulas, & ſequi ſpatioſum mare, & inter eos qui id aſſerunt eſt D. Richardus Aquinas eques Anglus, qui inter illas inſulas quadraginta quinque dies errauit.

ANNOTATIO.

NOmen huius Equitis Richardus Havvkins, de cuius nauigatione alibi diximus; idem autem poſtea à noſtris Belgis obſeruatum poſt fretum Lemairium inuentum, vt ante dixi. Ab ora maris, inquit Herrera, tellus nouæ Guineæ videtur bona, & incolæ conſpecti ſunt Nigritæ; & obiacent oræ multæ inſulæ, cum ſuis portubus, quorum non extat particularis notitia, quia rarò hic nauigatum fuit: loca in quibuſdam tabulis Geographicis ſignata

ſunt; *Aguada* à prima facie terræ ad vnum gradum, quinque & triginta leuc. verſus Ortum: & octodecim leuc. vltra hanc portus *Santiago* & inſula *de los Creſpos* patens in longitudiné ſexdecim leucas, ex aduerſo portus *S. Andreæ* quadraginta leuc. à Santiago; & magis verſus Ortum fluuius *Virginum* & *la Vallena* exigua inſula ante fluuium *S. Auguſtini*, circiter quinquaginta leuc. à portu S. Andreæ; & iuxta fluuius *S. Petri*, & *S. Pauli*, ante portum *S. Hieronymi*, & paruula Inſula iuxta *Puntaſalida*, quadraginta leuc. à S. Auguſtin. quem vocant de Buenapaz, & vltra hanc *el Abrigo* & *Malagente* quinquaginta leuc. à Puntaſalida, & inter cæteras vna inſula gentis blancæ, & *la Matre de Dios* ante *Buenauayan* & *de la Natiuidad de nueſtra Sennora*: quæ vltima earum quæ hactenus fuere viſitatæ: & veluti è regione eius verſus Arctum Inſula Caymana, in alto iacens inter alias inſulas ſine numero. Ora meridionalis nondum cognita eſt. Primus hanc nouã Guineam detexit Aluarus de Saauedra anno CIↃIↃXXVII. miſſus à Marchione Vallis vt ab illa parte inueſtigaret Inſulas aromatiferas, & hinc in reditu ad nouam Hiſpaniam à tempeſtatibus abreptus. Inſulæ Salomonis quæ diſtant octingentas leuc. ab ora Peruuiæ, quibus hoc nomen dedit opinio diuitiarum, & vocant illas Occidentales, ratione Peruuiæ: ab

illa enim primum ad illas peruentum ab Aluaro de Mendoça, ex mandato Licentiati Lupi Garſiæ de Caſtro, Gubernatoris regnorum Peruuiæ, anno CIƆIƆLXVII. Qui primus has terras vidit erat adoleſcens nomine Treio: iacent autem à ſeptem ad duodecim gradus ab Æquatore verſus Auſtrum, & citciter mille quingentas leucas à Ciuitate Regum (vulgo Lima,) ſunt multæ numero, ſed octodecim inter illas inſignes, quædam quæ trecentas leucas ambitu complectuntur, aliæ ducenras, aliæ centum, aliæ quinquaginta & ita porro; præter multas quarum oræ nondum prænauigatæ; crediturque cum noua Guinea eſſe coniunctas, & terris quæ ſunt à freto Magallanico verſus occaſum. Omnes iſtæ inſulæ videntur fœcundæ & habitabiles commeatibus abundantes & pecore: reperti in illis fructus aliquot Caſtellani, porci & Gallinæ magno numero. Incolæ partim ſunt colore, quali Americani, partim candido, partim rubro, partim etiam nigro, quod argumentum eſt, cum noua Guinea coniungi, vnde tantam mixturam tam diuerſarum gentium hîc confluxiſſe probabile eſt. Hactenus Herrera, qui plura nomina inſularum deſiderat, ipſum adeat. Sufficit enim ad propoſitum noſtrum: à terris illis quæ iacent cis & vltra Fretum Magellanicum verſus Occidentem alias terras quam longiſſime ab-

eſſe, & patens eſſe illa parte mare tam verſus Auſtrum, quam verſus Occaſum: ita vt hac via incolas difficulter in meridionalem Americam poſſimus introducere, & aura nobis aduerſatur. Nec quicquam nos adiuuat ea pars terrarum quæ pone Iauam majorem, licet longo interuallo, à Belgis noſtris fuit inuenta & à nauis nomine, qua vehebantur, Concordia dicitur: licet credibile ſit illam cum noua Guinea eſſe coniunctam. Vnica ſpes eſt in illa terra quæ fretum Lemaire ab Arcto ingredientibus ad læuam eſt, neque enim adhuc quicquam obſtat quo minus illa cum aliis terris poſſit coniuncta credi, quæ proxime accedunt ad Inſulas orientis. Atque ad hunc finem quædam hîc adiungenda ex Itinerario Richardi Havvkins Equit. Angli, de quo ſupra Herrera. Is quum peteret fretum Magallanicum & iam perueniſſet ad nonum & quadrageſimum gradum & triginta ſcrupul. ab Æquatore verſus Auſtrum, & ſecundum computum ſuum circiter quinquaginta leucas abeſſet à Continente Americæ, excepit illum ventus occidentalis ipſi aduerſus: ita vt ſecundo Februarij viderent eminus terram verſus Africum, neque coniectura aſſequi poterant quænam eſſet, ſiquidem nullæ hydrographicæ Tabulæ terram hac parte exhibēt ad eum modum ſitam, ad latitudinem octo & quadraginta graduum
Digitized by Google

verſus Auſtrum. Secus autem oram illius nauigarunt verſus Aquilonarem plagam, biduo integro, ita vt ratione inita iudicarent ſe circiter ſexaginta leucas ſecus illam promouiſſe. Terra autem illa erat campeſtris & habitata, videbant enim crebros ignes. Verum quum propius oram accedere & in terram deſcendere non daretur, & ventus mutaretur, illa omiſſa, curſum verſus Fretum Magallanicum direxerunt. Mihij autem non dubium eſt hanc terram coniungi cum illa quæ fretum Lemairium contingit: & probabile eſt illam produci primum ex aduerſo promontorij Bonæ Spei, & deinceps tendere circa polum Antarcticum verſus Terram illam nauis concordiæ, fortaſſis etiã per illam coniungi cum Terra dos Papaos, quæ in Tabulis noſtris appellatur. Nam omnia hæc quidem adhuc incerta ſunt, nihil tamen hactenus inuentum à nauigantibus quod contradicat.

Extat præterea Relatio de Terra hac Auſtrali Petri Fernandez de Quir ad Regem Catholicum, Latinè edita ab Heſſelio Gerardi. Quod ad regionum iſtarum, inquit, nouiter detectarum amplitudinem attinet, iudicando ex iis quæ ipſemet vidi, quæque Capitaneus Ludouicus Paez de Torres, obedientiæ meæ archithalaſſus Maieſtati tuæ expoſuit, longitudo earum tanta eſt, quanta totius Europæ, minoris vſque ad

mare Caſpium Aſiæ, Perſiæ, omniúmque tum Oceani, tum Mediterranei maris hiſce regionibus adjacentium Inſularum, Anglia & Hibernia comprehenſis. Eſt videlicet occultus hic tractus, quarta Globi terreſtris pars, ac tam late patet, vt in eo veriſimiliter poſſint eſſe duplo plura regna atque dominia, quam ſint ea quorum tua Maj. hodie dominus eſt. Nec habent hæ terræ vicinos Turcas, Mauros, aliáſve nationes vicinis ſuis infeſtas. Regiones nobis conſpectæ omnes intra Torridam Zonam ſitæ ſunt, & pertingit earum pars vſque ad Circulum æquinoctionalem, latitudinis graduum 90. vel alicubi pauciorum, & poſt pauca. Refertus eſt totus hic tractus innumerabili incolarum multitudine, quorum alij candido, alij fuſco & eorum, quos Hiſpani Mulatos appellant, perſimili, alij denique mixto quodam colore ſunt. Capilli nonnullis nigri, longi, ſoluti: aliis criſpi, villoſi, aliis denique flaui & admodum rari. Quæ ſane diuerſitas magni cuiuſdam inter eos commercij, crebrique conuentus ſignum eſt. Nec videntur vlla prorſus arte imbuti, nec arces habent nec muros, nec Regem, nec Legem. Simplices tantum gentiles ſunt, in factiones diuiſi, nec vnquam ſatis concordes. Arma quibus vtuntur, ſunt arcus, ſagittæ (nullo veneno imbutæ) clauæ, fuſtes, haſtæ, ac tela miſſi-

lia, omnia tantum ex ligno. Velant pudenda. Sunt munditiæ ſtudioſi, tractabiles, alacres, eaque in benefactores gratitudine, quam ipſe non ſemel expertus ſum.

Domus eis è ligno, palmarum frondibus tectæ. Ollis vtuntur fictilibus. Machinas quoque textorias norunt, aliaſque eiuſmodi elegantias. Marmorarij ſunt. Tibias, tympana, cochlearia fabricant è ligno. Oratoria ipſis ſua & ſepulchreta Horti in areolas pulchre digeſti, ſepti ac limitibus ſuis diſtincti. Magnum iis vſum præbent cochleæ margariti feræ : è quibus cuneos, ſcalpra, ſerras, ligones, aliaque id genus inſtrumenta, tum & globulos collo appendendos conficiunt. Inſulani nauiculas habent affabre elaboratas, & ad trajiciendum percommodas, argumentum minime fallax, quod vicini ſint nationibus magis excultis. Cuius rei & illud non vanum indicium, quod & verres & gallinaceos caſtrent.

Panem habent è triplici ferè radicum genere, quarum ingens paſſim prouenit copia, atque huic conficiendo minimum ſane laboris impendunt, nihil enim quam torrent rapices vſque dum ſint percoctæ.

Fructus in hoc tractu quam plurimi & quidem eximie boni. Platani ſenûm generum. Amygdala quadruplicia. Prægrandes obi, genus cotoneis noſtris & magnitudine

& guſtu pene adſimile: nuces innumeræ, mala medica, & citrea, quibus barbari non veſcuntur, alij denique non minus ſuaues, quam prægrandes fructus, quos & vidimus & guſtauimus. Multæ inſuper & quidem inſigniter craſſæ arundines Sacchari. Innumerabilis pene palmarum numerus, &c.

Quod ad carnes attinet, magna porcorum eſt copia noſtratibus adſimilium, multæ gallinæ, capi, perdices, anates, turtures, columbæ, palumbes & capræ alteri capitaneo viſæ. Significarunt nobis Indi & de vaccis quoque & bubalis. Cætera non eſt opus perſequi. Quiuis autem qui Americanorum habitum & mores nouerit, ſtatim animaduertet magnam ſimilitudinem inter has nationes: vti maximè veriſimile ſit eandem eſſe originem: ſed quo pacto ab vna regione in alteram venerint, id ſolum haud in procliui eſt explicare.

Qvinta Observatio.

Haud dubio ex linguæ cognatione, magna de origine gentium conjectura poteſt fieri; itaque hic quædam adjungenda putaui quæ de Gentium illarum linguis obſeruauimus, ſed ne Lectorem oneremus aut tædio afficiamus in paucis morabimur, ſumemuſque tantum exempla à duabus nationibus, Huronibus & Mexicanis quorum illi

procul ad Arctum, hi pene ad extremum Septentrionalis Americæ verſus Auſtrum incolunt. Statuemus autem vocabula ex oppoſito, vt facilius ſimilitudo aut diſſimilitudo animaduerti poſſit. Ordiemur autem à nominibus propriis partium corporis humani.

Huron.		Mexican.
Scouta	*Caput*	Tzontecontli
Arochia	*Capilli*	Tzontli
Ayemtſa	*Frons*	Ixcuaitl
Ahontta	*Aures*	Nacaztli
Acoinda	*Oculi*	Ixtelolotli
Aongya	*Nares*	Y actli
Andara	*Maxillæ*	Camachalli
Aſcaharente	*Os*	Camactli.
Ahta	*Labia*	Texipalle.
Aſchonchia	*Dentes*	Tlantli.
Dachia	*Lingua*	Nenepilli
Ohonra	*Collum*	Cocotl
Oüachia	*Pectus*	Yelchiquiuhtli
Etondreha	*Humeri*	Ahcolli
Ahachia	*Brachia*	Matzotzopatli
Ayochia	*Cubiti*	Molicpitl
Ahontreſſa	*Manus*	Maytl
Eteingya	*Digiti*	Mahpilli
Ohetta	*Vngues*	Iztitl
Tonra	*Venter*	Xillantli
Ontara	*Vmbilic⁹*	Xictli

Digitized by Google

Huron.		Mexican.
Ethnonuha	*Dorſum*	Cuitlapantli
Tocha	*Latus*	Yomotlantli
Oſcoinha	*Viſcera*	Cuitlaxcolli
	Iecur	Yeltepachtli
Auoiachia	*Cor*	Yollochtli
	Pulmo	Chichitl
	Lien	Taxixtecon
	Renes	Netloctetenca
Ochingoda	*Genua*	Tlanguaitl
Anonta	*Crura*	Metzquanhyotl
Eindechia	*Suræ*	Cotzli
Achita	*Pedes*	Icxitl
Chogoute	*Tali*	Xoquochtlantli
	Nerui	Tlalhuyaotl
Outſmoïata	*Venæ*	Yetzalhuotl
Auoitſa	*Caro*	Nacatl
Angon	*Sanguis*	
Onna	*Oſſa*	
Ouoicheinta	*Cerebrum.*	

Nomina numerorum.

	Hur.	Mex.	Sankikan.
1	Eſcate	Ce aut Centetl	Cottè
2	Teni	Ome	Nyſſe
3	Hachin	Yei	Nacha
4	Dac	Nahuy	VVyne
5	Ouyche	Maciulli	Parenach

Digitized by Google

	Hur.	Mex.	Sankikan.
6	Houdahda	Chicuacen	Cortash
7	Sotaret	Chicome	Nyſſas
8	Atteret	Chicuey	Gechas
9	Nechon	Chicunahuui	Peſcon
10	Aſſan	Matlactli	Terren

20 Teni qui voiſſan. Zempohualli. Myſſynach.

100 Egyo tvvoiſſan. Macuilpohualli Cottapach.

Conſanguinitatis gradus.

Hur.		Mex.
Ayſtan, Aihtaha	*Pater*	Tahtli
Anan Ondoüen	*Mater*	Nantli
Ayein	*Filius*	Tepiltzin
Ayein	*Filia*	Teuchpoch'
Ataquen	*Frater*	Teoquichtiuch
Ataquen	*Soror*	Tehneltiuch
Achota	*Auus*	Tecoltzin
Houatinoron	*Patruus*	Tethahtzin
Achota	*Auia*	Tezihtzin
Harha	*Matertera*	Teahuitzin
Earaſſé	*Cognatus*	Tétex

Dignitatum gradus.

Auhoindiou	*Dominus*	Teuthli
	Domina	Zihuapilli
	Seruus	Tlacoti

Colorum differentiæ.

Onienta, Onquata	*Candidus*	Iztac
Sieinſta	*Niger*	Tliltic
Odſinquaraé	*Viridis*	Quiltic
Otſehiaye	*Ruber*	Chichiltic
	Cœruleus	Texutic
	Luteus	Coztic

Auium aliquot nomina.

Sondaqua	*Aquila*	Cuauthtli
Oraquan	*Coruus*	Acatlötli
Taron	*Anas*	Canauhtli
Tochingo	*Grus*	Tocuilcoyolt.

Quadrupedum nomina.

Sconoton	*Ceruus*	Mazatl
Quenton maliſia	*Cuniculus*	Tuchtli
Anariſqua	*Lupus*	Cuetlachtli
Gaguenou	*Canis*	Chichi
Andaſtay	*Vulpes*	Coyotl
Tiron	*Felis ſilueſtr.*	Miztli.

Inſectorum nomina.

Stinonchoquey	*Formica*	Azcatl
Tſivoy	*Pulex*	Tecpin
Touhaúc.	*Pediculus*	Atemitl.

Ignis & eius accidentia.

Aſſiſta	*Ignis*	Tletl
Ohexra	*Cinis*	Nextli

Aetſiſto-

Aetſiſtoraſſe *Carbo ardens* Tlexochtli
Tſicinſta *Carbo extinctus* Tecolli.

In omnibus hiſce vocabulis eandem rem ſignificantibus videmus ſummam differentiam: ſed fruſtrà quis quærat inter nationes tam longè diſſitas cum Fr. Gabriel Sagardus, è cuius Dictionario Huronum vocabula deſcripſimus, in præfatione teſtetur, ipſorum linguam plane eſſe diuerſam à vicinorum Algoumequinorum linguâ, Montagnetarum & Canadentium. Cuius diſſimilitudinis hæc profert exempla. Hurones canem vocant *Gagnenon*: Epicerini *Arionce*, Montagnetæ *Alimoy*. Hurones mi pater dicunt *Ayſtan*, Canadenſes *Notaoui*. Hurones mea mater *Anan*, *Ondouen*, Canadenſes *Necaaoui*. Matertera Huronibus dicitur *Harha*; Canadenſibus *Nerouſiſſe*, Panis Huronibus *Andataroni*, Canadenſib. *Pacoucchigan*. Nō te intelligo, Hurones dicunt *Danſtan tedronica*, Canadenſes *Noma quiniſitotatin*. Experiamur iam idem in verbis & loquutionib.

Hur. Mexic.

Naché *Quo vadis?* Campa tiauh? [ca?
Tontatſi iſſa *Quomodo vocaris?* Tleinmoto-
Totatſe, neckya *Quomodo vocatur?* Tleitoca
[ora?
Aonhéon *Ægrotat* Cuix Mococohua.
Ahoüiaken *Eſt Negligens* Huel ah yel.
Conuoitte hahattay *Eſtne hac via?* Cuix
yehuatlin inohtli?

Andachoenne	*Mendax*	Iztlacatini
Xchihay	*Ne plora*	AhmoXichocā
Teskeanki	*Vidiſtine?*	Cuix otiquittac
Etſondenon	*Veni mecum*	Tehuatl nonahuac Xihualla
To hahattey	*Monſtra viam*	Xinechmochti in ochtli
Tſirattaé	*Cœlum nubilum eſt.*	Cenca huel Yecuichehua incahuit.

Ex his licet paucis ſatis apparet nullam conuenientiam eſſe inter has linguas, neque in his verbis, neque in conſtruendi modo: vnum ſolummodo hic verbum quod nonnullam ſimilitudinem habet Xichihay & Xichoca: cætera toto cœlo differunt. Idem credo appareret ſi aliorum barbarorum linguæ nobis cognitæ eſſent.

Adjicio hîc vocabula è lingua Maquaaſiorum qui in ea parte Americæ Septentrionalis degunt quam noſtrates vocant *Nouum Belgium*, quemadmodum à Belgis noſtris obſeruata inueni.

Partes corporis humani.

Caput	Anonſi,	*Capillus*	Anochquis,
Aures	Ohochta,	*Naſus*	Oneyatſa,
Lingua	Ovvaniſſe,	*Guttur*	Ohonckvva,
Dentes	Onavvi,	*Brachia*	Onenta,
Manus	Oſnótſa,	*Digiti*	Onataſſa,
Pollex	Otichkera,	*Vngues*	Otſira,

Digitized by Google

Humerus Onirare, *Spina dorſi* Orochquine,
Pedes Oſſidau, *Veſica* Onhaha,
Pudenda maris Canderes, *Fœmina* Oneera,
Vir Etſi. *Fœmina* Coenhechti.

Cognationum gradus.

Pater Ragina, *Mater* Diſtan,
Patruus Ragenonou, *Cognatus* Rackeſie.

Numerorum nomina.

1 Onſat, 2 Tiggeni, 3 Aſſe, 4 Cayere, 5 VViſch, 6 Iayack 7 Tſadack, 8 Sategon, 9 Tyochte, 10 Oyere, 40 Tavvaſſe, 100 Onſcat teneyavve.

Animalium nomina.

Ceruus Aque, *Felis* Adiron,
Vrſus Ochquari, *Caſtor* Sinite,
Lutra Iavvine, *Vulpes* Senadondo,
Lupus Ochquoha *Canis* Irhar,
Lepus Tantanege,
Grus Tali, *Cygnus* Kragequa,
Anſer Kahanck, *Aquila* Scaskarivvanaſi,
Piſcis Cinſye, *Salmo* Ohekeront.

Variarum rerum nomina.

Sol Carackvvero, *Stella* Aſiſtock,
Aër Careyago, *Semen* Cana,
Lapis Oieya, *Caro* Ovvare,

Digitized by Google

Farina Athesera, *Fluuius* Canaderage,
Via Iohati, *Lardum* Odoſſera,
Os oſſis Oſtie, *Pluuia* Eſteronde,
Montes Ononda, *Æſtas* Ottcyage,
Hiems Auguſtuske, *Arundo* Oneggeri.

Verba aliquot.

Sudare VVagideria, *Pingere* Endatkondere,
Pugnare Ioddireyo, *Concumbere* Sinekati.
Dormire Aghidavve *Ridere* Aquayeſſe,
Plorare. Onſtara.

Colorum nomina.

Candidum Crage, *Nigrum* Cahonſyo
Cianeum Oſſiuenda, *Rubrum* Onegonſcia.

Adjectiua.

Magnus Quane, *Paruus* Canyevva,
Latus VVotſtooha, *Craſſus* Cates,
Æger Agthihi *Mortuus* Avvaheya,
Malus Aquinachoo, *Fortis* Aſſeric,
Curuus Carente, *Pulcher* Iankonque,
Pauper Agotſioha, *Nequam* Seronquaeſe.

Operæpretium fuiſſet etiam linguam Cuſcenſem cum aliarum gẽtium Americæ meridionalis linguis cõferre: ſed nullus auctor ad manũ ex quo petere poſſimus niſi admodum pauca. Obſeruat Garcilaſſus de lauega, Patres liberos ſuos vocare *Churith* , matres autem *Vaua*, item fratres ſe inuicẽ appellare

Huauque, ſorores *Nanna*: Si autem frater ſororem alloquatur, dicit *Pana* non autem *Nanna*, ne & ſe fœminam profiteatur: Soror autem ob ſimilem cauſam fratrem compellans non dicet *Huauque*, ſed *Tora*; nec ſororem compellans *Pana* ſed *Nanna*. Quæ nihil commune habent cum Mexicanorum idiomate; vti *Vnu* aqua quæ Mexicanis *Atla*. Peruani *Ylla pantac* vocant tonitru cum fulmine conjunctim: Mexicani vocant Tonitru *Tlatlatzinil*, fulmen *Tlahnitequiliztli*.

In eadem Peruuia obſeruat Petrus de Cieca, Pontem è ſaxo conſtructum appellari *Lumichaca*: apud alios *Gorron* piſcis: *Anzer* Sal. Apud Peruuianos *Sopay* malus dæmon qui illos exagitat. *Vrco* aries, *Llama* ouis qualis ipſis domeſtica noſtratibus nequaquam ſimilis. *Camac* Creator, *Pacha* mundus. *Mocha* Sol apud incolas Taramæ prouinciæ Peru. Collæ ampliſſima natio, Annum vocant Mari: Lunam & menſem *Aleſpaquexe*, diem *Auro*. Verum obſeruat Cieca cap. 116. Tantam inter incolas illius tractus fuiſſe linguarum diuerſarum multitudinem, vt ſingulæ pene prouinciæ haberent peculiarem, licet poſtquam ab Ingis fuerunt ſubiugati etiam Cuſcenſem intelligerent & loquerentur.

In eadem hac Meridionali America latiſſimè ſe diffundit lingua Braſilienſium, licet

ſuis dialectis diſtincta: eius hic ſpecimen dabo vt comparatio à curioſis inſtitui poſſit, eique adjungam linguam eorum populorum quos appellant Iaos, qui incolunt inter duo nobilia flumina Amazonum & Oronoquii.

Partes corporis humani.

Braſ.		Iaos.
Acânga	*Caput*	Boppe
Abâ	*Capilli*	
Ciba	*Frons*	
Nambî	*Aures*	Pannaëe
Teca	*Oculus*	Vocre
Apiingoâra	*Nares*	Hoenaly
Iurû	*Os*	Hopatali
Tanha	*Dentes*	Hioeely
Apecû	*Lingua*	
Aiûra	*Collum*	Boppomery
Potiá	*Pectus*	Pyelupo
Atiiba	*Humerus*	Hoomotaly
Aceôca	*Guttur*	Ieene
Gibâ	*Brachium*	Iapelly
Inbô	*Manus*	
Popitêra	*Palma*	
Mua	*Digitus*	
Micapê	*Vngues*	
Tiguê	*Venter*	Holopotaly
Puruâ	*Vmbilicus*	
Atucupê	*Dorſum*	

Digitized by Google

Piâ	*Iccur*	
Nhiâ	*Cor*	Hoppelabolle
Piriquity	*Renes*	
Cama	*Mamma*	Mannaty
Vba	*Femur*	
Tendipiâ	*Genua*	Goenaly
Tetimâ	*Crura*	Pollely
Pî	*Pedes.*	Poepu

Conſanguinitatis gradus.

Tuba	*Pater*	Papa
Cîg	*Mater*	
Taira	*Filius*	Moron
Tagîra	*Filia*	Comi
Tigueíra	*Frater*	Ourony
Teindira	*Soror*	Comi
Tutíra	*Patruus*	
Ciîra	*Matertera*	
Tamuja	*Auus*	
Aija	*Auia.*	

Promiſcua nomina.

Abâ	*Vir*	
Pitanga	*Infans*	
Cunumi	*Puer*	
Cunumigoacu	*Adoleſcens*	
Cunha	*Mulier*	
Cunhataï	*Puella*	
Ibâca	*Cœlum*	

Coarau	*Sol*	VVeyo
Iau	*Luna*	Nonna
Iautatâ	*Stella*	Chirika
Ibitinga	*Nubes*	
Amana	*Pluuia*	Kenape
Amanibâ	*Grando*	
Ibutâ	*Ventus*	Pepeïte
Amancunuga	*Tonitru*	Tonimeron
Amanbuaba	*Fulgur*	
Tupa uel Tupana	*Deus*	
Iurupari	*Diabolus*	
Angâ	*Anima*	
Tetê	*Corpus humanum*	
Tatâ	*Ignis*	Ouapoto
Iy	*Aqua*	
Ibí	*Terra*	Soye
Ara	*Aër*	Pepeïto
Miapê	*Panis*	
Coô	*Caro*	
Pirâ	*Piſcis*	
Oca	*Domus*	
Tâba	*Pagus*	
Moroaucupara	*Amicus*	Bamo
Amotarennbâra	*Inimicus*	
Nheengû	*Mutus*	
Abâ ecapicocima	*Cœcus*	
Iba	*Arbor*	VVevve
Ibirapâra	*Arcus*	Hoerappe
Vûba	*Sagitta*	Mapporoe
Paranâ	*Mare*	Parona

Digitized by Google

Itá	*Lapis*	Tapou
Cuaui	*Ceruus*	Ouſſari
Iaguarete	*Tigris*	Aroua
Tajacuiguata	*Aper*	Pingo
Ting	*Candidum*	Topocoume
Cun	*Nigrum*	Topioroume
Inbaeû	*Edere*	Ouaonine
Vû	*Bibere*	Euenike
Quera	*Dormire*	Vniguené
Iaeô	*Porare*	Ouamome
Puca	*Ridere.*	

Numerorum Nomina.

	Br.	Iay.
1	Oyepe	Tevvyn
2	Mocoj	Tage
3	Mocapir	Terrevvavv
4	Oioirundi	Tagyne
5		Mepatœn
6	*Reliquis carent,*	Tevvyne Ieclyckene
7	*ſed digitis ma-*	Tage Iecklyckene
8	*nuum & pedum*	Terrevvavv Ieclyckene
9	*oſtendũt maiores*	Tagyne Ieclyckene
10	*numeros, & ſi*	Iemerale mepatoen
11	*propriꝫ non ſuffi-*	Tevvine abopene
15	*ciunt aliorum*	Habopboppene
20	*quoque oſtentãt.*	Pemoene

Obſeruandum autem apud Mexicanos numerorum nomina ſimplicia eſſe vſque

ad quinque, ab eo incipiunt duplicare vt chicuacen, &c. Eundem autem morem videre eſt apud Yaos, niſi quod illi ſuperiores numeros in principio adjiciant, Mexicani in fine. Decem Mexicani proprio nomine efferunt, ita & Yai.

Hoc quoque hic notandum, Hurones hariolos ſuos, quibus & medicis vtuntur, appellare *Loki*, quæ vox magnam affinitatem habet cum Anglo-Saxonum voce Laχe quæ ipſis medicum ſonat, vti Lacedom medicinam.

Inſularium, qui penitus ab Hiſpanis exſtincti, pauca admodum vocabula accepimus. Petrus Martyr ſcribit Hiſpaniolæ incolas, vocaſſe Cœlum *tures*: domum *bóa*, aurum *cauni*, virum bonum, *tayno*, nihil *mayáni*. Idem dec. 3. Aduertendum eſt, inquit, nullam ineſſe adſpirationem vocabulis ipſorum, quæ non habeat effectum literę conſonantis: imo grauius adſpirationem proferunt, quam nos f, conſonantem. Proferendumque eſt quicquid eſt adſpiratum eodem halitu quo f, ſed minimè admoto ad ſuperiores dentes inferiori labello: ore autem aperto, ha, he, hi, ho, hu, & concuſſo pectore. Hebræos & Arabicos eodem modo ſuas proferre adſpirationes video. Ibidem c.8. hæc verba notat. *Teitoca* eſto quietus: *Techeta cynato guamechyna* Dominus multum iraſcetur: *Guaibbâ* vade.

Digitized by Google

OBSERVATIO SEXTA.

OPeræpretium quoque fuerit obſeruare, quam notitiam numinis habeant barbari, & quem cultum illi vel falſo impendant.

Fr. Sagardus in Hiſtoria ſua de Huronibus cap. 18. de religione barbarorum obſeruat; Eos qui verſus *Miskou* & Portum regalem incolunt, venerari Spiritum quendam quem appellant Cudoüangi, & mira de illo credere quæ Spiritui maligno optimè cōueniant. Souriquoſios, vti ab aliis acceperat, omnino credere vnum eſſe Deum qui omnia creauerit, dein plures in terram defixerit ſagittas, è quibus hominum genus ortum & propagatum fuerit, ſub illo tamen adhuc credere Filium, Solem & Matrem; quorum filius quidem & Sol boni ſint, mater autem peſſima, vtpote quæ homines deuoret: nec Patrem vſquequaque bonum eſſe; & ſimilia deliria. Hurones autem, de quibus ipſi potiſſimum ſermo, credere (quamquam non bene ſibi conſtent) Creatorem qui fecerit mundum vocari *Yoſacha* & lingua Canadenſium *Atacuacan*: huic adhuc ſupereſſe auiam *Ataenſiq*. Vtrumque procul à ſe degere, neque ſibi quicquam de illis compertum, niſi quod à quodam Aattiuoudaron acceperint, qui ſe illum vidiſſe aſſerat, &

veſtigia pedum illius in rupe quadam ad ripam fluminis, tuguriumque illius nihil à cæterorum barbarorum caſis differre, ſementem quoque facere, aliaque vt cæteri homines; imperium tamen habere in omnes animantes. Hunc natura perfecte bonum eſſe & rebus omnibus incrementum largiri: Auiam autem ſceleſtam eſſe & ſæpe perdere quæ nepos largiretur. Illum numquam mori, ſed vbi ſenuit, reiuueneſcere. Suſpiciunt quoque ſpiritus quoſdam, quos generali nomine vocant *Oki*, tam propitios quam malignos: atque adeo hanc vocem vſurpant de omnibus, quæ captum ipſorum ſuperant.

Credunt quoque animarum immortalitatem, eaſque à corpore ſolutas, aſtra petere & per viam lacteam (quam propterea appellant *Atiskein Andahárey*, id eſt ſemitam animarum) contendere ad *Yoſacham*, vt coram eo & auia eius choreas agant. Non tamē à neceſſitatibus corporis poſt obitum abſolui, quare vnâ cum cadaueribus varia vtenſilia tumulant, vt iis in altero orbe vti poſſint

Barbari quos *Ioannes Danis* inuenit ad fretum ſui nominis, idololatræ ſunt & incantatores. plurimas imagines etiam in cymbis ſuis circumferunt.

Vvilhelmus Baffin (qui & freto à ſe luſtrato nomen dedit) narrat incolas Gron-

Digitized by Google

landiæ, Solem venerari; nam Anglis appropinquantes pectora tundebant & exclamabant *Iliout*, neque propius accedere ſuſtinebant, antequam Angli idem feciſſent.

Barbari qui in parte Nouæ Franciæ degunt, credunt Diabolum eſſe Deum, licet illum non adorent: magicis artibus ſupra modum indulgent. Qui iuxta fluuium Sagadahoc incolunt, quendam malignum ſpiritum nominant *Tanto*, qui illos ſingulis nouiluniis exagitat, & cogit illos metu ad ſui venerationem: malum enim ipſi agnoſcunt.

Incolæ Virginiæ (vt refert Thomas Heriot) credunt multos eſſe Deos, quos appellant *Mantoac*, ſed diuerſorum graduum; vnum tantũ principem & magnum Deum, qui fuerit ab æterno. Qui cum propoſuiſſet mundum condere, fecit primum alios Deos principalis ordinis, quibus veluti mediis & inſtrumentis vteretur in creatione & gubernatione ſecutura: & poſtea Solem, Lunam, ſtellas vt paruos Deos & priorum illorum inſtrumenta. Credunt omnes illos Deos formam habere humanam, quare eos eiuſmodi imaginibus repræſentant, quas vocant *Kevuaſovuock*; vna ſola dicitur *Kevuas*. Has collocant in ædiculis aut templis, quæ vocant *Machikomuck*, vbi orant, cantant, & ſæpe immolant. Credunt immortalitatem animarum: eaſque à corpore

ſolutas, ſtatim ſecundum opera quæ fecerint, aut deferri ad cœlum, habitaculum Deorum, vt ibi perpetua felicitate fruantur: aut ad ingentem puteum ſubterraneum in Occidentali parte terrarum illarum, in quo perpetuo vrantur. Hunc vocant Popoguſſo.

Alij in eodem tractu præcipue venerantur Diabolum, quem vocant *Oke*; habentque in adoratoriis ſuis illius imaginem horribili forma. Alij eundem appellant *Menetto* vel *Menutto*. Vtrumque autem nomen etiam attribuunt omnibus rebus quæ ipſis mirabiles videntur.

Floridani qui ad mare degunt, videntur Solem imprimis venerari, nam abluunt ſe ante illius ortum, itemque poſt occaſum; nec cibum capiunt antequam hæc peregerint. Alij quidam qui intra Continentem degunt, venerantur numen aliquod quod *Aguar* vocant & in cœlo habitare autumant, ipſiſque pluuias & alia neceſſaria largiri.

Incolæ iuxta Ceuolam aut Cibolam præcipue Aquam venerari creduntur, quia det ſementi incrementum.

Incolas Nouæ Mexicanæ, referunt Hiſpani, multa idola colere, & in ſingulis pene ædibus habere oratorium Diabolo adornatum, in quo ipſi cibum apponunt,

De Mexicanorum religione & cultu multa

diximus in Americæ deſcriptione, quæ non repetimus. Videndus Ioſephus de Acoſta, qui ſcribit eos primo loco coluiſſe Vitzilipuztli, quem tota illa natio nominabat omnipotentem, & dominum omnis creaturæ. Poſt quem Solem adorabant. Bene autem obſeruat, diabolum cum non poſſet ex animis hominum eximere ſummum illum Deum, id dediſſe operam vt illis perſuaderet, præter eum etiam plures alios eſſe qui propriam haberent potentiam & authoritatem, ad bene aut male faciendum hominibus, atque hanc perſuaſionem difficillime admodum illis adimi. Idem lib. 5. cap. 10. ſcribit Reges Ingas feciſſe ſtatuas è ſaxo ſibi ſimiles, quas appellabant *Guaoiquies*, id eſt germanos, quibus eadem veneratio impendebatur quæ ipſis. Qualem Nebucadnezarem ſibi feciſſe legimus in S. Scriptura. Neque hic quicquam repetimus de Iucatanenſibus, de quibus ſupra diximus.

Denique totus ille terrarum tractus qui ab Noua Hiſpania pertinet ad Iſtmum Panamenſem, quoad ſuperſtitioſos ritus, cultum Diaboli & hominum euiſcerationes atque immolationes non multum differt à Mexicanis.

Sed transeamus iam ad meridionalem Americam. Qui Darienem prouinciam incolebant, nulla habebant templa aut adora-

toria ; præcipue venerabantur Diabolum, qui horrenda forma interdum iis apparebat : credunt tamen vnum Deum eſſe in cœlis, nimirum, Solem & Lunam eius coniugem, itaque illos venerantur. In Vraka colunt ſuperſtitioſe idolum Dabaibæ ; cui & mancipia immolant ; ferunt autem eam eſſe matrem Creatoris omnium rerum.

In prouincia quam hodie vocant *Sancta Martha* venerantur Solem & Lunam, iiſque ſuffumant varias gerbas. Mancipia quoque immolant.

Eorum qui Cumanam incolunt, Dij ſunt Sol & Luna, maritus & coniux & ſuprema numina. Quum tonat & fulgurat admodum ſibi metuunt, Solem iratum credentes: inter idola ſua, quæ venerantur, potiſſimum habent vnum figura Crucis Sancti Andreæ, quam credunt ſe munire aduerſus dæmones nocturnos ; & collis infantium appendunt.

Qui inter Oronoquen & flumen Amazonum degunt aut potius incertis ſedibus vagantur, habent magos ſuos, quibus valde obnoxij ſunt, quia & medicinam inter eos exercent & vitæ mortiſque veluti arbitri ſunt, qui variis præſtigiis illos miſeros terrent. Cæterum Solem & Lunam venerantur, quę ſidera viuentia opinantur, non tamen ea adorant aut iis quicquam immolant. Præter paucos, præſertim

Yaos

Digitized by Google

Yaos, qui pro numine colunt *Tamoucum*, quem in ſuperiore aëris regione degere & inferiora hæc pro nutu ſuo regere profitentur. Credunt animas defunctorum qui bene egerunt, transferri ad cœlum quod vocant *Caupo*, quæ male egerunt, ad *Soy* quod in viſceribus terræ collocant, defuncto aliquo è primoribus mancipium eius cædunt vt illi miniſtret in altera vita.

Marashavvaccæ qui procul intra continentem agunt, colunt Idolum ſaxeum in æde ad id conſtructa. Formam hominis repræſentat ſedentis ſuper calces ſuas, genubus diuaricatis quibus cubitis innititur, palmis explicitis, & ore hiante.

In interiori regione, quam magnum flumen Magdalenæ ſecat, hodie vocatur nouum regnum Granadæ, plerique barbari diabolum colunt, eique & idola fabricant, & captiuos ſuos crudeliter immolant.

De Braſilienſium religione multi multa ſcripſerunt, & nos compendio diximus in Americæ deſcriptione. Summa eſt, illos neque vllum Deũ nouiſſe, neque adorare quicquam: quare neque vllum nomẽ in ipſorum lingua reperitur quo Deũ exprimas, niſi forte *Tupâ* quo excellentiam quandam ſummã deſignant: vnde Tonitru vocant *Tupâ cununga*, id eſt ſtrepitum factum à ſuprema excellentia, ab *acunung* ſtrepere: Fulgur autem *Tupa berâba*, id eſt ſplendorem excellentiæ.

ab *aberâb* reſplendere. Cœlum & inferos pariter ignorant: licet animas poſt ſeparationem à corpore ſupereſſe credant, & nonnunquam in dæmones conuerti, & ad campos irriguos, variiſque arboribus amœnè conſitos traductas ibidem choreas agere. Spiritus malignos impensè metuunt, quos *Curipira*, *Taguaj*, *Macachera*, *Anhanga*, *Iurupari*, *Marangi goana* vocant: ſed diuerſis ſignificationibus. Nam *Curipira* ſignificat numen montium. *Macachera* numen viarum viatores præcedens: Petiguares fingunt boni nuntij paranymphum: è contra Tupiguaes & Caryoes medicum humanæ ſalutis hoſtem. *Iuripari* & *Anhanga* ſignificant ſimpliciter Diabolum. *Marangigoana* non ſignificat numen, ſed animam ſeparatam, vel aliud quid inſtantem mortem prænuntians, ipſiſmet non ſatis notum, & tamen illud maxime timent; ita vt interdum ſubito illius terrore exanimentur. Multos habēt inter ſe magos & præſtigiatores quos vocant *Page*, & *Caraïba* eſt illis poteſtas miracula perpetrandi: quare Luſitanos, quia multa faciebant ipſorum captū ſuperantia, vocabant *Caraibas*, etiam hodie. Alij barbari eiuſdem tractus ſpiritus illos malignos vocant *Coropio*, vt Antonius Kniuenis refert, alij *Aignan* vti Lerius: Alij quoque eoſdem vocant *Anaſalij*, quos ſupra modum metuunt. Differunt omnes hæ natio-

nes in variis, ſed eadem pene Idololatria & ſuperſtitio inter illas obtinet. Nec alia eſt ratio innumerarum prope gentium quæ intra continentem ad vtramque ripam magni fluminis *de la Plata* degunt.

De Chilenſium religione nihil certi accepimus: quam illos communiter iurare per dæmoniũ quod vocant Eponamon, quum fidem ſuã obligare volunt. De Peruuianorũ prolixe ſcripſit Acoſta, & nos compendio quædam iam ante diximus, plura autem in Americæ deſcriptione. Hic tantum hoc addo, quum Idololatriæ obiectum ſit, & aliqua generatim, vt Sol, Luna, ignis, &c. aut particulatim, vt hic aut ille fons, mons, arbor & ſimilia in quibus non ſpecies, ſed indiuiduum colitur: Peruuianos in poſteriore hac Idololatriæ ſpecie omnes gentiles longè ſuperaſſe, ex qua ipſis natæ innumerabiles quas vocant Guacas.

Ex omnibus autem quæ diximus apparet gentes vtriuſque Americæ, quaſdam habere leuem quandam Dei cognitionem, eaſque omnes eſſe Idololatras; pleraſque omnino nullam. Sed à maligno ſpiritu regi & miſere torqueri. Plurimaſque adeo omnem humanitatem pene exuiſſe.

Digitized by Google

Septima Observatio.

DE Politico eorum regimine aliquid dicendum puto, quia ex eo quoque indicium originis capi poteſt. Duæ omnino prouinciæ hic repertæ quę iuſti imperij formam habebant, quum Hiſpani illas intrarent; in Septentrionali quidem parte Mexicana, in Auſtrali Peruuia. De quibus non eſt neceſſe plura dicere, quum Acoſta in ſua Hiſtoria plene explicauerit, & nos in Hiſtoria Americæ.

Apud multas præterea nationes inuenta fuit aliqua ſaltem regiminis politici forma quamquam admodum laxa & imperfecta. Nam docet nos F. Sagardus, Hurones habere aliquam reipub. formam, quippe & principes aut duces ſuos agnoſcere, qui dignitatem illam ad liberos tranſmittant: eoſque eſſe duplicis functionis, vnos res bellicas tantum curare & *Garihona doutagueta* appellari, alteros rem ciuilem & *Garihoua andionxra* dici, qui & alios ſub ſe habeant præfectos in ſingulis municipiis & pagis ſuæ prouinciæ, atque hos ſe cum regibus Europæ comparare. Illis & ſuum eſſe conſilium publicum conſtans è ſenioribus municipij atque prouinciæ, qui præconio in domum principis aduocentur; vbi princeps deliberanda proponit, & cæteri ſuo ordine ſententiam dicunt.

Ita & Hochelagenſes, vt refert Quarterius, habebant ſuum principem, *Agouhannam*, quem ſummopere venerabantur, & ferarum pellibus inſidentem, inque humeros ſublatum circumgeſtabant.

Souriquoſiis, Attegouautanis, aliiſque plurimis nulli perpetui duces, pro occaſione belli eliguntur deſtituunturque, quos variis nominibus appellant. Alij *Sagamos* quod apud multas gentes vſurpatum in noua Anglia, Belgioque & parte Virginiæ. Souriquoſij autem præter eos habent ariolos ſuos, quos vocant Autmoins, tanta dignatione, vt ipſi reguli plerumque id enim munus affectent & obeant. Alij qui partem illam incolunt quæ hodie Virginia dicitur, ad magnum ſinum *Cheſepeack*, regulos ſuos appellant *Vveroances*, & inter eos authoritate præcipuus ab Anglis commemoratur *Pavvhatan*. Idem nomen agnoſcunt, & illi Virginiæ populi quos Raleghus primum adiit.

Porro Floridani duces ſuos quos habent innumeros pene in ſingulis prouinciis, vocant *Paracouſſi*.

Tlaſcalenſibus, qui Mexicanis vicini. Hiſpanis aditum aperuerunt ad oppidum Mexico ſubiugandum & imperium illud deſtruendum; Democraticum vel potius Ariſtocraticum erat imperium.

Mechoacani etiam ſuum regulum tum

habebant ſatis late imperantem. Ad eundem modum & aliæ prouinciæ in illo tractu, de quibus ſingulatim dicere longum eſſet.

In illa autem Californiæ parte, quam Franciſcus Dracus Nouam Albion appellauit, inuentus regulus, qui magna pompa ad Anglos acceſſit, cum magno ſatellitum agmine, quorum vnus ſceptrum præferebat, cum duabus coronis, quæ è plumis erant confectæ.

Inſulares quoque, qui Hiſpaniolam & Cubam inhabitabant, plures regulos habuerunt, (quos illi Caſiques vel Cacices appellabant,) alios aliis potentiores.

De Inſularibus qui Lucaias aut, vt ille vocat, Iucaias inhabitabant narrat, decad. 7. Regulos habēt, his parent adeo reuerenter, vt ſi cuiquam præcipitium ex alta rupe aut vertice quouis imperauerit, nulla ratione adducta in medium alia, præterquam impero vt dejicias te, ſine mora reguli dictum exequitur. Nulla eſt regi alia cura præterquā de ſemētibus & venatu ac piſcatione. Quicquid ſeritur, quicquid plantatur, &c. ad Regis imperium fit. Viritim officia diuidit ad libitum: collectæ fruges in regiis coaceruantur horreis: inde ad vſum populi toto anno pro cuiuſque familia diuiduntur. Eſt ergo Regulus, vti rex apum, ſui gregis œconomus & diſtributor.

Digitized by Google

Sed iam ad partem meridionalem tranſeamus: narrat Petrus Martyr dec. II. Regem quem Hiſpaniola Cacicum vocat, Coiba prouincia *Chebin* alibi *Tiba*: Nobilem appellat Hiſpaniola *Taino*: Coiba *Saccum*, alibi *Iura*. Animaduertendum autem hîc quod dicitur de *Taino*, quod accedit ad Angloſaxonum *Thegne*, quem & latine Thanum & Tainum vocant.

Idem narrat Parienſibus fuiſſe regulos tanquam annuos rectores vicorum primarios tantum, quos cæteri, ſiue bello ſiue pace ſit agendum, ſequebantur: eos autem optimates vno nomine ab ipſis *Chiaconos* appellatos.

In interiore autem continente, quaqua Regnum nouum Granatenſe patet, plurimi quoque Reguli fuerunt, alij latius alij anguſtius imperantes, an autem peculiari nomine appellarint non obſeruaui.

In Popaiana, quæ eſt ampliſſima (vt ſcribit Petrus de Cieça) nulli erant reguli, ſed vicatim viuebant incolæ.

Inde peruenitur ad Peruuiam, de qua abunde dixi in deſcriptione Americæ. Hic tamen obiter adjiciam quæ narrat Petrus de Cieca in prima parte Chronici Peruuiæ, cap. 38.

Ex relatione, inquit, Indorum Cuſcenſium intelligitur, antiquitus in omnibus illis prouinciis quas hodie appellamus Peru,

ſummam fuiſſe confuſionem: & incolas ingenio fuiſſe tam bardo vt vix credi poſſit: dicunt enim fuiſſe brutales, multos comediſſe carnem humanam, plures ſe copulaſſe cum filiabus atque etiam matribus ſuis; commiſiſſe præterea alia maiora & grauiora peccata, & magnum obſequiū præſtitiſſe dæmoni. Habebant in iugis montium & collium caſtella, è quibus ob leuiſſimas cauſas bellum vicinis inferebant, & cædebant atque captiuabant quotquot poterant. Et licet hiſce peccatis & ſceleribus eſſent addicti, nonnullos tamen aliquam curam habuiſſe religionis: ita vt in multis partibus huius regni magna templa fuerint conſtructa, in quibus diabolum colebant (qui ſæpe ſe illis videndum offerebat) & idolis immolabant. Et quum incolæ harum prouinciarum ad hunc modum viuerent, ſurrexerunt grandes tyranni in prouinciis Collao & in vallibus Yungarum, & in aliis partibus; qui inter ſe belligerabant, & magnam vaſtitatem terris & clades hominibus inferebant, ita vt multa caſtella exſcinderentur; & hæc ferocia atque ſæuitia in dies incrementum capiebat. Hæc quum ita ſe haberent in hiſce prouinciis, duo germani quorum alter dicebatur Mangocapa, ſe ſupra alios extulerunt. Hic ædificauit oppidum Cuſco, & tulit leges; ipſeque & eius poſteri ſe dixerunt Ingas, id eſt reges ſeu

Digitized by Google

maiores principes. Tantúmque aliis præualuerunt, vt imperium extenderent à Paſto ad Chilen longitudine mille & ducentarum leucarum.

Quæ hîc prolixius retuli, vt intelligant lectores quam probabiliter vir Clariſſ. has gentes & imprimis Mangocapam à Sinis acceſſat. Acoſta denique ſcribit lib. 5. cap. 4. Ingarum inſignia fuiſſe arcum cęleſtem cum duobus anguibus ad latera ſecundum longitudinem.

Chilenſes quoque duces ſuos & ſuperiores agnoſcunt vocántque *Ape*, quanquam non ſit tanta illorum dignitas quanta Regum aut Principum.

Poſt hos ſequuntur iam barbariſſimæ gentes quæ ad Fretum vſque Magallanicũ pertingunt; atque ab illo, (vt alteram iam oram obeamus) pertinent vſque ad magnum flumen de la Plata & vltra: nam licet variæ ſint nationes, linguis & moribus diuerſæ, tamen eadem eſt feritas, eadem omnis humani cultus & imprimis politici ordinis ignorantia. Neque melius cum illis comparatum eſt, qui intra Continentem degunt, vti in Hiſtoria noſtra obſeruauimus.

De Braſilienſibus, qui ampliſſimas regiones occupant ad mare Atlanticum, narrat Lerius: Etſi reges aut principes inter ſe nullos habeant, ſed pares ſint ferè dignitate;

Digitized by Google

tamen hoc illis à natura inditum eſt, vt ſeniores, quos *Peorerupickeh* nominant, propter rerum experientiam ſuſpiciant & obſeruent: in ſingulis itaque pagis non aſpernandum illis præſtatur obſequiũ. Oblata hi occaſione vel inambulantes, aut lectis ſuis penſilibus inſidentes cæteros ad fortitudinem hortantur. Inter alios tamen huius gentis populos etiam regulos habent, quos vocant *Murabixâba* & duces belli, quos vocant *Marâna îba*, milites autem *Marana abicoâra*.

Observatio Octava.

Dicendum quoque aliquid de ſtatura horum incolarum & proceritate aut puſillitate corporum; de gigantum oſſibus & in Mexico & in Manta inuentis nihil repetam, ea tantum perſequar quæ adhuc hodie videntur.

Narrant Angli ſe ad intimum ſinus *Cheſeapeack* gremium inueniſſe populum barbarorum, qui *Saſqueſahanoxi* dicuntur, proceros admodum, & qui præ Anglis & vicinis ſuis barbaris gigantes videri poſſint, Iconem vnius dedimus in Hiſtoria Americæ lib. 3. cap. 14. Huius crura iuxta ſuras, tres quartas partes vlnæ Anglicæ craſſa erant, è quibus reliqua corporis moles æſtimari poteſt: cæterũ membris erat bene compoſitis,

Digitized by Google

& decorus aſpectu, coma capitis ſupra dextrum humerum promiſſa, læua capitis parte raſa, & à fronte ad occiput per medium verticem inſtar criſtæ erectâ. Contrà in eadem pene regione memorant VVigcocomocos puſillo corpore inſtar nanorum.

Narrat & Nicolaus Duran è ſocietate Ieſu, Anno CIↃ IↃCXXXVI. In hiſce regionibus (loquitur de Paraguana) etiam gentem ſermone adeo terſo vtentem reperi, vt elegantia ac nitore Latino parum cedere videatur: adeo copioſus eſt vt quatuor Deum ſynonymis exprimat. Particulæ ac verba ſunt geminata: ita vt vehementer ſim admiratus tam cultum idioma in gente tam barbara reperiri: non ij tamen ſe barbaros arbitrantur: pro totius enim Indiæ generoſiſſimis atque inuictiſſimis ſe gerunt? ſtatura ſunt adeo præalta vt extento brachio eorum vix capita attingere poſſim: alacri comique ingenio ſunt, atque incredibili in quiduis ex Europa allatum auiditate feruntur.

Quæ Magallanus de gigantibus ad fretum Magallanicum prodidit, ea falſi coarguunt Angli qui cum Draco ibidem fuerũt: agnoſcunt quidem proceros admodum eſſe, ſed non tantum Europæos excedere vt pro gigantibus haberi poſſint.

Noſtrates quoque qui poſtea eadem loca adierunt, nullos ibidem gigantea ſtatura inuenerunt, ita vt illud in medio relinquamus.

Conſiderandus quoque reliquus corporum habitus. Quos Martinus Forbisherus ad fretum ſui nominis inuenit, ij erant lata facie, grandibus oculis, rubrica faciem picti. Canadenſes quoque vnctionibus ſuis colorem mutant, quem à natiuitate noſtro ſimilem habent, ab vnctura oliuaſtrum. Armouchiquoſios, ſcribit Quarterius, eſſe deformes, exiguis capitibus, brachiis gracilibus vti & fœmoribus, longis cruribus: ita vt iuſta membrorum proportio deſit.

Virginienſes quoque ſe pingunt miris modis, & quo pictura deformior eſt, eo magis ipſis placet; alioqui candidi naſcuntur.

Floridani his vicini cutem primum pungunt, deinde herba quadam pingunt colore qui elui non poteſt. In quibuſdam Floridæ partibus quæ magis ad Auſtrum vergunt, tradiderunt Hiſpani, iuxta *Antem* homines eſſe gigantea ſtatura, optimos ſagittarios.

De Patarabuyis qui nouam Mexicanam incolunt, narrant Hiſpani, eos quoque eſſe vaſto corpore, & faciem brachia & crura punctulis diſtinguere.

Cæterum populi qui Nouam Hiſpaniam & vicinas prouincias ad Iſthmum vſque Panamæ & vltra incolunt, fere eiuſdem ſunt conditionis quantum ad ſtaturam, licet in cultu corporum non parum differant.

In meridionali parte Americæ ſe tantum pingunt quum prodeunt in bellum, in prouincia Dariene. Plurimi autem & in illa continenti & adjacentibus inſulis corpora ſua rubrica tingunt.

Marashavvaccæ, Caribum natio, aures dicũtur habere ſupra fidem longas. Omnes autem iſti Caribes ſæuiſſimi ſunt Anthropophagi: licet etiam infiniti pene alij populi in hac parte Americæ eadem infamia notentur.

Petrus de Cieca ſcribit, Canchos qui in vicinia Anzermæ degebant, fuiſſe tam vaſto corpore vt parui gigantes videri poſſent.

His proximi ſunt licet magno interuallo Braſilienſes, in quibus nihil deforme obſeruant, præter depreſſum & latum naſum; cutem autem inficiunt ſucco è fructu Genipapo expreſſo, qui atrium colorem inducit, ſed tantum ad aliquot dies. Quidam eorum & cutem incidunt, & notant quibuſdam punctulis & ſecturis. Alij & vaſto corpore eſſe narrantur, vt *VVaymores*, & iis adhuc proceriores *VVaytaquazes* iuxta promontorium frigidum. Contra *VVaynaſſes* pumilo corpore eſſe dicuntur, qui Inſulam grandem incolunt; vti & *Pories* procul intra continentem degentes. Cæterarum gentium ad mare Atlanticum vſque ad Fretum Magallanicum, & trans illud ad mare Pacificum, vſque ad Chilen pene idem

Digitized by Google

eſt corporum habitus, præter paucos de quibus iam ante diximus.

In Chilenſibus, vti neque in Peruanis quicquam occurrit quo ad ſtaturam corporis; cultiores ſunt reliquis omnibus barbaris, qui partem hanc Americæ incolunt: vbi Quito tranſieris vſque ad Iſthmum Panamæ eadem eſt barbaries & ferocitas; paucæ in hac parte Americæ ſunt gentes, quæ aut non guſtarint carnes humanas, aut non hodiéque appetant, præter eas quæ jugum Hiſpanicum acceperunt.

Vt autem appareat quam frequens incolis America olim fuerit vſque ad aduentum Hiſpanorum, breuiter hic ratio ineunda myriadum, quas illi exſciderunt. In Inſula Hiſpaniola ex tribus myriadibus hominum; cum Bartholomæus de las Caſas ſcriberet ad Carolum V. Imperatorem, vix trecenti erant reliqui, nunc nulli: magna illa Inſula hodie vix à viginti millibus poſſidetur, longe maximam partem nigritis.

Cuba & aliæ inſulæ ad eundem modum indigenis exhauſtæ, & in Continenti aliquot prouinciæ, haud minores Hiſpania ſingulæ, in quibus haud minus quam duodecim myriades exciſæ.

In Noua Hiſpania & vicinis prouinciis ab anno 1518. ad 1530. ſupra quatuor myriades exciſæ.

In Naco & Honduris ab anno 1524. ad

1535. ſupra duas myriades. In Guatimala ab anno 1524. ad 1540. ad quatuor aut quinque myriades. Nec minor numerus in prouincia S. Marthæ.

In Venezuela quatuor aut quinque myriades breui tempore perierunt.

Tædioſum eſſet ſingula perſequi, videmus iam ad triginta myriadas deletas, & quantula pars eſt huius vaſtæ continentis, in qua hæc facta narrantur. Si his Peruuiana excidia, ſi Braſiliana, ſi ea quæ ad flumen de la Plata facta ſunt adiungerentur, quantus myriadum numerus fieret. Ex hiſce autem apparet quam frequentes incolis inuenerint has regiones Hiſpani: & multæ adhuc ſunt prouinciæ incognitæ, quas habitari ſatis conſtat.

OBSERVATIO NONA.

DIcendum quoque aliquid de connubiis, & quæ ad familias pertinent, quia ex iis quoque inditium gentilitatis capi poteſt. Quia autem de ſingulis populis dicere nimis longum eſt, de pluribus obiter dicam; & quidem primùm in Septentrionali parte.

F. Sagardus de Huronibus ſcribit in hunc modum: Nous liſons que Ceſar loüoit grãdement les Allemans, d'auoir eu en leur ancienne vie ſauuage telle continence, qu'ils reputoient choſe tres-vilaine à vn ieune

homme, d'auoir la compagnie d'vne femme ou fille auant l'aage de vingt ans. Au contraire des garçons & ieunes hommes de Canada, & particulierement du païs de nos Hurons, leſquels ont licence de s'addonner au mal ſi toſt qu'ils peuuent, & les ieunes filles de ſe proſtituer ſi toſt qu'elles en ſont capables, voire meſme les peres & meres ſont ſouuent maquereaux de leurs propres filles. Pluſieurs ieunes hommes au lieu de ſe marier, tiennent & ont ſouuent des filles à pot & à feu, qu'ils appellent non-femmes, *Atenonha*, parceque la ceremonie du mariage n'en a point eſté faite, ains *Aſqua*, c'eſt à dire compagne, ou pluſtoſt concubine, &c. Deſcribit dein ritus matrimonij, quos nihil attinet hic referre. Ils gardent trois degrez de conſanguinité, dans leſquels ils n'ont point accouſtumé de faire mariage : ſçauoir eſt du fils auec ſa mere, du pere auec ſa fille, du frere auec ſa ſœur, & du couſin auec ſa couſine. Non ſeulement les hommes procurent diuorce quād les femmes leur en ont donné quelque ſujet; mais auſſi les femmes quittent facilement leurs marys quand ils ne leur agreent point. Les marys ne ſont pas ſeuls en la ioüiſſance de la femme, quelques mariez qu'ils ſoient; car la nuict venuë les ieunes femmes & filles courent d'vne cabanne à autre, comme font en cas pareil les ieunes
hommes

Digitized by Google

hommes de leur coſté, qui en prennent où bon leur ſemble, ſans aucune violence toutefois, remettant le tout à la volonté de la femme. Et pource que les enfans d'vn tel mariage ne ſe peuuent aſſeurer legitimes, ils ont cette couſtume entr'eux, auſſi bien qu'en pluſieurs autres endroits des Indes Occidentales, que les enfans ne ſuccedent pas aux biens de leur pere; ains ils font ſucceſſeurs & heritiers les enfans de leurs propres ſœurs, &c.

Atque hæc quidem paulo prolixius ipſius Authoris verbis hic retulimus, vt ex iis pateat quam bene hæc cum moribus veterum Germanorum quadrent; nam Hurones hi omnium proximi ſunt ad originem quam vir Clariſſ. illis gentibus dedit. Nihil autem hic apparet niſi filij ſororum hæredes, ſed ob cauſam tam futilem & probroſam, vt quiuis videat hoc à Germanicis moribus non deſcendere. An plures ſimul vxores habuerint non dicit hic author; de vicinis illorum in reliqua noua Francia teſtantur authores, illos plures vxores habuiſſe. Et viduæ denuo nubunt hic paſſim. Neque Virginiæ incolæ aliter ſe habent, aut qui his vicini ſunt Floridani: apud quos viduæ marito in bello extincto capillos radunt, neque denuo nubunt antequam coma ſuccreuerit. Apud hos autem & Sodomitarum abominationes vigent & publicè exercentur ſine dedecore.

Digitized by Google

Polygamia paſſim hic obtinet; de incolis quoque circa Cinaloam narrant Hiſpani, eos neque à matre, neque ſorore, neque filia abſtinere, eo amicitiam intendi affirmantes. In illis quoque partibus Sodomia regnat.

De Mexicanis & aliis eorumdem ſubditis diximus in Hiſtoria Americæ.

Apud Nicaraguanos polygamia fuit, licet vnam pro principali vxore haberent.

Sed tranſeamus ad Meridionalem Americam. Incolis prouinciæ Vrabæ hanc conſuetudinem adſcribit Cieza: filij hæreditatem patrum adeunt, ſi nati ſint è principali conjuge. Conjungunt ſe cum filiabus fratrum germanorũ, & Primores habent multas vxores. In quibuſdam prouinciis vicinis indecorum putant virginem incorruptam ducere. In aliis promiſcuè ducunt filias & ſorores; & vt plurimum iam corruptas. Primores plurimas ducunt, tenuiores paucas aut quantas poſſunt. Filij parentum hæreditatem capiunt. Si illi deſint, filij ſororum, non autem fratrum.

Obſeruat Cieza, pleraſque fœminas in illis regionibus ſine dolore parere: & vbi pepererunt, ſtatim & ſe & partus ſuos in in flumine abluere.

In Quimbaya quoque filij hæreditatem patrum capiebant, aut ſi deeſſent filij, germanæ.

Digitized by Google

À Paſto incipit Peruuia, de cuius incolarum connubiis ſatis multa diximus in Hiſtoria Americæ. Hoc tamen notandum, hic paſſim obtinuiſſe vt filij è principali vxore hæreditatem paternam adirent, cæteris excluſis.

Polygamia quoque hic paſſim obtinuit. Obſeruat autem Cieza Peruanos abhorruiſſe à peccato Sodomitico, præterquam in *Puerto Veyo* & inſula *Puna*.

Si cæteras quoque regiones huius Americæ Meridionalis obeas, inuenies vbique polygamiam, & ſummam in connubiis confuſionem: & vt verbo dicam, ferinam barbariem.

OBSERVATIO DECIMA.

DIcendum quoque aliquid de modo habitationum & ædificiis. Et primum obſeruandum in vtraque parte Americæ reperiri multos Nomades, præſertim in Septentrionali parte iuxta Quiuiram; & Chichemecas pene omnes eſſe tales, atque ad eundem modum alios. Pleroſque autem qui hic certas ſedes habent, nonniſi vicatim agere, & habere ædes è ſtipitibus factas & foliis aut palea, aut etiam arundine leuiter tectas; quoſdam etiam nullas, & ſub dio agere.

In parte porro Septentrionali ædes ꝗ

ſaxo factas repertas in Noua quam vocat Mexicana, vnde olim veros Mexicanos egreſſos eſſe, creditur: circumcirca interea degunt homines barbari ſeminudi, ſine vllis tertis laribus aut vllo ordine politico. Primi qui domos incolunt lapideas, vocantur *Iumani*, ſiue Parabuyes, qui mares iuxta atque fœminæ facies atque artus lineis quibuſdam ſignant; robuſto corpore & longè vrbanioribus moribus quam vicini illorũ, *Conchi*, *Paſſuagates*, aut *Tobeſi*. Iumani autem illi veſtiti erant, leuémque aliquam cognitionem habebant religionis, cœlum enim intuentes, quod ſua lingua vocabant *Apalito*, numen deſignabant & dominum vniuerſi profitebantur. Hîc & in progreſſu intellectum, multos populos verſus occaſum habitare eiſdem moribus.

Ab his locis deflectentes verſus Arctum inuenerunt Nouam illam Mexicanam, vbi ædes inuentæ vaſtæ, & quatuor contignationibus in altitudinem ſubſtructæ, cum multis atriis, conclauibus & tepidariis aduerſus frigus: tam mares quam fœminæ veſtiebantur ad Mexicanorum normam; vtebantur & calceis & ocreis, quæ è taurino corio aut ferino conſuta erant.

Apud *Cunames* ad eandem plagam etiam domos calce illitas, & variis coloribus pictas inuentas tradunt. Mira præterea narrant Hiſpani de Acoma: de lacu Conybas,

Digitized by Google

&c magnificis ædificiis quæ in oppido maximo quod illi aſſidet reperiuntur. Sed vereor ne hæc omnia in majus extollantur, vt ſolitum eis qui alios ad eiuſmodi expeditiones ſtudent incitare: Notiſſimum enim eſt quam miſere ſæpe decepit fuerint qui eiuſmodi relationibus temerè crediderunt.

De Mexicanis haud dubium eſt, vaſta ædificia præſertim publica, è ſaxo habuiſſe, de quibus authores conſulendi, & imprimis Acoſta: dixi & multa in Hiſtoria Americæ. Peruenit ea ſtructuræ ratio ad *Yucatanos*, vltra hos non reperta vulgo.

In Americam Meridionalem ingreſſis rurſus occurrunt mapalia, etiam in faſtigiis arborum, nidorum inſtar, inſtructa; alia ex aquis ſuper ſtipites & palos educta: donec perueniatur ad fines Peruuiæ: mapalia autem alicubi ſatis ampla, verum è ſtipitibus, aut grandibus & validis arundinibus coniuncta, & ſtramine tecta.

Statim vbi ingreſſus fueris fines Imperij Ingarum Peruanorum, occurrunt magnifica ædificia è grandibus ſaxis exſtructa, & via illa militaris, viarum Romani Imperij æmula: de quibus omnes Scriptores Hiſpani loquuntur. Atque hic primo loco celebrat Cieza Palatium Carangue, è grandibus ſaxis ſubſtructum, inter ſe compoſitis ſine vllo cæmento: habens interius ſtagnum itidem è ſaxis coagmentatum; & magnificum tem-

plum Soli dicatum: Eiuſdem ſtructuræ plura deinceps ſequuntur Otabalo, Cocheſqui, Quito, Mulahalo, Tacunga, Muliambato, Mocha, Riobamba, Cayambi, Teocaxas, Tiquizambi, Chancan, Cannaribamba & Hatuncannari, Thomebamba ſuperbiſſimũ ædificium, de las Piedras, Tamboblanco, Calua, Caxas, Guancabamba, & ita porrò vſque ad Ciuitatem Cuſco: fuere autem non tantum palatia iſta, ſed & Armamentaria. De ipſius Cuſco magnificis ædificiis mira narrant, vt de Arcibus & Templis. Omnem autem admirationem ſuperant quæ referunt de Tiaguanaco. Qui deſiderat horum omnium molem & magnificentiam plenius cognoſcere, legat cap. 14. lib. 6. Ioſephi Acoſtæ: qui ſcribit ſe in ruderibus illius ædificij menſum vnum ſaxum triginta octo pedes longum, & octodecim latum, in parietinis tamen Arcis Cuſcenſis adhuc longè maiora ſpectari. Miranda quoque narrant de Arce Guarco, & de aliis magnis ædificiis paſſim per prouincias exſtructis, quorum ruinæ adhuc viſuntur cum ſtupore; ita vt cum antiquis ſtructuris noſtri orbis quo ad molem & magnificentiam comparari poſſint, & ſola architectonices induſtria & nitore ſuperentur. In reliquis huius Meridionalis Americæ regionibus nihil tale reperitur; nam neque vlla ibi viſa oppida, ne ædificia quidem vlla ex ſaxo

ſed tuguria & mapalia, vt apud alterius partis incolas pleroſque, exceptis eis de quibus diximus.

OBSERVATIO VNDECIMA.

OBſeruanda quoque temporum ratio, nam ex ea quoque aliquod indicium ſumi poteſt. Mexicani diuidebant annum in octodecim menſes: vnicuique menſi attribuebant xx. dies, qui efficiunt CCCLX, reliquos quinque nulli menſi annumerabant, ſed collocabant per ſe, quibus nihil planè agebant, ne ſacerdotes quidem immolabãt, ſed omnes feriabantur, & alij alios viſitabant. Primus autem anni dies ipſis erat qui nobis XXVI. Februarij. Menſibus nomina erant à feſtis quæ in illis agebantur, aut anni tempeſtate. Seculum eorum erat quinquaginta duorum annorum. Plura de his dixi in Hiſtoria Americæ. Peruanis autem annus conſtabat tot diebus quot noſter; eumque diuidebant in duodecim menſes. Ordiebantur illos à Ianuario vt nos, ſingulisque erãt ſua nomina & feſta. Verum Inga Pachacuto id mutauit, & annum ordiri voluit à Decembri. Vtrique autem Septimanarum vſum ignorarunt, nam Mexicanis erant tredecim dierum, Peruanis nullæ.

In multis partibus Septentrionalis Americæ nullam temporum rationem habent,

quam per Lunas : quidam etiam omnino nullam.

Ad eundem modum pleræque illæ gentes quæ ab Vrabæ ſinu ad magnum flumen Amazonum incolunt, haud aliam temporum rationem ineunt quam per Lunas: dierum autem numerum per lignorum in faſcem collectorum congeriem conſeruant: cui quotidie aut addunt aut demunt pro re nata.

Ex libro decimo Hiſtoriæ Braſilienſis Emanuelis de Moraës nondum edita.

Observatio Duodecima.

EGo vero libenter credo Americanos oriundos non ab vno populo, nec vna in parte, ſed à Carthaginenſibus, & ab Iudæis, idque temporis longo tractu, diuerſis in locis. A Carthaginenſibus, quia proditum eſt nouas inueniſſe, & remotiſſimas regiones, omni amænitate, & fertilitate inſignes: ſed quia cunctos inflammarat fœliciſſimi ſoli nuntium, legibus cautum, ne quis illo iterum nauigaret, ne Carthago bellorum tumultibus afflicta desereretur: cumque hanc ob cauſam ceſſaret nauigatio, ceſſauit & contractus, & gens illa facta eſt agreſtis, diuiſaque in varias familias, huc

illucque diſcurrens, ſine aliquo communi principe, varias regiones occupauit, & vnaquæque propria ſibi finxit vocabula. A Iudæis vero, quia Braſilienſes, Iudaïcos mores, excepta circumciſione, induerunt. Primo Iudæis non licebat quaſcunque ſibi jungere vxores, ſed ex certa, & determinata tribu, vt habetur cap. vlt. Numer. v. 7. & deinceps, vbi hæc leguntur. Omnes enim viri vxores ducent de tribu, & cognatione ſua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus. Braſilianis quoque fuit ſolemne, antequam ad caſtra Chriſti tranſirent, conſanguineas ſuas ducere, ſororum filias primum, harum defectu alias. Secundò Iudæi patris nomine condecorabant, non tantum parentes ſuos, ſed eorum quoque fratres, & reliquos aſcēdentes, ad multas generationes; ſic Angelus Ioſephum interpellauit dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere; non quod Dauid Ioſephi eſſet pater, à quo longiſſima ſerie diſtabat, ſed quia ex maioribus eius erat: Ita Braſiliani more Iudaïco vocant patres, ſuos quoque patruos, & amitas ſimiliter matres. Tertiò Iudæi Lachrimas magni faciebant, integro menſe ſuorum funera flentes, vt videre eſt in obitu Moyſis, de quo dicitur Deuteuron. 34. verſ. 8. Fleuerúntque eum filij Iſraël in campeſtribus Moab triginta

diebus. Et lib. 1. Mach. legimus de inclyto illo Machabæo. Et planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno: alios in re clariſſima facio miſſos: Braſiliani quoque lachrymas maximi faciunt, eaſque habent in poteſtate: ſuos integro menſe ad minimum plorāt, ſine vlla intermiſſione aliquādo, ita vt contingat multis, in fletu perire: Et quod mirandum eſt carorum aduentu circumdatis collo brachiis (vt ſæpiſſime vidimus) cum effuſa comploratione excipiunt. Quartò Iudæi dum eorum res vigebat, longis veſtimentis delectabantur: ſic Iacob dilecto ſuo Ioſepho tunicam fecerat talarem: eadem vtebantur tempore Chriſti Domini noſtri Scribæ, & Phariſæi, Euangelio id atteſtante: quinimo, & conſuetudo pictorum obtinuit, iam Iudæorum effigies veſtimentis, ad pedes vſque demiſſis nobis proponere: maiores ſuos in hoc quoque Braſilij imitantur egregie: longa veſtis cordi illi eſt, & fœminæ omnes, quæ veſtitum iam portare didicerunt, vna talari tantum tunica vtuntur: Et ſi ſemen Braſilium rogaueris, quo veſtimentorum genere maxime capiatur? Statim reſpōdebit, pallio longo. His, & aliis rationibus permoti hanc ſententiam ſumus amplexi: Eandémque tenent multi viri docti, in Braſilia degentes, quamuis nonnulli repugnent arundineis innixi fundamentis. Ipſorúmque Americanorum multi, ab an-

Digitized by Google

tiquiſſima traditione edocti, maiores ſuos agnoſcunt Iudæos, illos diuinitus è mari ſeruatos fuiſſe affirmantes: Nec nos multum mouet eorum ſententia, qui non de mari rubro hæc intelligunt, ſed ad memoriam vniuerſalis diluuij referunt, cuius apud illas nationes veſtigia reperiuntur, quamuis obſcura, & admodum confuſa: quia illæ diſtingunt diluuium à mari rubro, aſſerentes maiores ſuos, faſtigia arborum aſcendiſſe altiſſimarum, & ibi Noëmici diluuij euaſiſſe periculum, quod non diuinitus factum, dicunt, ſicuti de mari rubro affirmant.

APPENDIX.

DE Braſilianorum lingua, quantum ad vocabula, ſupra dixi: addam nunc etiã pauca de ipſorum Grammatica & conſtructione, quia genus linguæ ex his optime intelligi, & cum aliis comparari poteſt. Grammaticam integram edidit P. Ioſephus de Anchieta Prouincialis Societatis Ieſu in Braſilia, Conymbricæ 1595. E qua hæc decerpſi.

1. Braſilienſium lingua non habet f, l, s, z, rr, nec mutam cum liquida vt cra, pra, &c. Sed loco s, in principio & medio dictionis ſeruit ç, cum zeura.

2. Adjectio ad actiua in conjugationibus

verborum, & formatio futuri ex indicatiuo, & optatiui atque præteriti imperfecti è conjunctiuo, nonnihil variat apud nationes eiuſdem linguæ; nam à Pitiguaribus Paraibæ, vſque ad Tamoyos fluminis Ianuarij, pronuntiant verba integra deſinentia in conſonantes, vt *Apâb*, *Acen*, *Apen*, *Aiûr*; atque particulis temporum prædictorum interponunt *i*, aſperum, vt in futuro *Apâbine*, *Acêmine*, *Apênine*, *Aiûrine*. Tupes vero qui S. Vincentij Capitaneatum incolunt, numquam pronunciant vltimam conſonantē in verbis affirmatiuis, vt pro *Apab* dicunt *Apâ*, &c. Et in flexis *Apáne*, &c. Verumtamen in deſinentibus in *c*, aut *g*, omnes communiter interponunt *i*, vt *Acepiâc*, *Acepiâcine*, &c.

3. Omnes dictiones quæ deſinunt in quatuor vltimas vocales, habent accentum in vltima & notantur circumflexo: quæ in *a*, partim in vltima & notantur eodem accentu, partim in penultima & notantur acuto. Verba maximam partem habent accentum in vltima quomodocunque deſinant.

4. Nomina non habent caſus aut numeros diſtinctos, præter vocatiuum; in quibus hæc differentia obſeruanda, quod quæ habent accentum in vltima, nihil mutantur in omnibus caſibus; quæ in penultima, perdunt vltimam vocalem in vocatiuo, vt *túba*, *túb*, &c.

5. Nomina ſubſtantiua componuntur cum adjectiuis, ita vt ſubſtantiua ſemper præcedant; & ſi habeant accentum in vltima, manent integra: ſin in penultima & concurrant cum vocali, perdunt vltimam vocalem, vt pro *Tuba ete*, *Tubete*, pater verus: ſi cum conſonante, perdunt totam vltimam ſyllabam, vt *Tubá catu*, *Tucatû*. Si ſubſtantiua componantur cum ſubſtantiuis, eadem fit mutatio.

6. Numeri non aſcendunt ſupra quatuor, & communiter præponuntur ſubſtantiuis, vt 1. *Oiepé*, 2. *Mocoy*, 3. *Mocapir*, 4. *Oyoirundîc*. poſſunt & poſtponi facta diuiſione.

7. Pronomina habent aliquot caſus: vt Nominat: *Yxê*, *xâ*, ego. Datiu. *Yxébe*, *yxébo*, *xébe*, *xébo*, mihi. Pluraſ. Nomin. *Orê*, *yandê*, nos. Datiu. *Orébe*, *yandébe*, nobis. Nominat. *Endé*, *Ndé*, *Né*, tu. Datiu. *Endébe*, *Endébo*, *Ndébe*, *Ndébo*, tibi Plur. Nominat. *Peé* vel *Pé*, vos. Datiu. *Peéme* vel *Peémo*. Accuſ. *Opô* vel *Pé*. Vocat. *Peê* vel *Pé*. *Xé*, *Ndé* vel *Né*, *Pé*, etiam ſunt adjectiua, vt meus, tuus, veſter. *Xejára*, meus dominus, *Ndejára*, tuus &c. *Yxê*, *endé*, *peê*. ſemper ſunt ſubſtantiua: *Orê*, *Yandê*, itidem ſunt adjectiua, noſter, a, um. *C* cum Zeura & *i* ſunt pronomina relatiua in omnibus caſibus & numeris, & ſignificant is,

ea, id. *O* eſt reciprocum, ſuus, a, um. In conſtructione; (excepto Nominatiuo & Datiuo qui indifferenter ponuntur) pronomen ſemper præponitur, ſiue ſit ſubſtantiuum ſiue adjectiuum.

8. Licet omnia verba vnam habeant formam conjugandi, tamen poſſumus dicere duas habere, quia negatiuum augetur certis particulis, quibus diſcernitur: vt indicatiuo Affirm. *Aiucâ* occido, Negat. *Naiucâi* non occido: In imperatiuo affirm. *Eiucâ* occide tu, Negat. *Eiucâ umê* ne occidas.

9. Præpoſitiones ſemper poſtponuntur nominibus; ſunt autem fere hæ: *Mô* in, *Pê* in, ad, a, cum datiuo. *Bô* in, per, *cupê* a, *çui* de, ex, præter; *çocé* ſupra, ſuper. *Tobaquê* coram. *Tenondê* ante de tempore: *çupî* per, de loco. *Cotî* verſus. *Cecê* Ri, propter, pro, in, a. *Pocê* com, in eodem lecto. *Pupê* com, inſtrumentale: *Pabê* com, ſocietatis. *Ndi*, idem *Yá*, cum ſuis compoſitis, *yabê*, *yabenbê*, *yacatû*, *yacatutenbê*, ſecundum.

10. *Pé* cum nominibus juncta quæ deſinunt in *ba* abſorbet vltimam ſyllabam, vt *Taba* vicus, *Tapé* in vico.

11. Verba neutra fiunt actiua, interponendo *mo* vel *ro*, vt *agebir* redeo, *Aimogebir*, *arogebir* facio vt quis redeat.

Digitized by Google

12. *Ae* vel *Aipoaê* neutrum, vt in latino, inquam, is, it, eſt irregulare in aliquibus temporibus, vt *ae* inquam, *Naey* vel *aipondaey* non dico: in imperat. *Erè* dic tu. in infinitiuo *E* dicere &c.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google